

Mortuos sepelire.

210. Est opus valde meritiorum.

**J**oseph ab Arimathæa, Tobias, & Nicodemus laudantur ab obsequio sepultura. Antonius S. Paulum, Lolianus S. Mariam Egyptiam sepelivit. Eutichianus Papa trecentos quadraginta tres Martyres propriis manibus sepelivit. Pontiana omnes facultates suas sepultura Martyrum impendit, &c. Sanchi. 6. part. c. 4. fol. 691.

Hoc opus caritatis apud fideles tam veteris, quam novæ Legis in maxima semper affirmatione fuit. Patriarcha Abraham in sepulchrum uxoris Saræ quadringentos argenti siclos impendit. Patriarcha Jacob, ubi in Ægypto diem obiit, a filio Joseph in regionem Chanaan ad sepulchrum translatus est. Tobias contra mandatum Regis Salmanasar noctu clam mortuos sepelivit, quod opus Deo adeo placuit, ut diceret illi Archangelus Raphael: *Dum sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.*

In nova Lege scimus Christum Dominum a duobus Viris nobilibus: B. V. Mariam ab Apostolis ex toto orbe collectis: Sanctum Proto-Martyrem Stephanum a Viris timoratis sepulchrum esse.

Cadaver S. Romualdi Henricus Imperator propriis humeris ad sepulchrum tulit. S. Ludovicus Rex in Syria milites suos peste mortuo propriis manibus sub terra condidit.

Deus ipse pro sepultura Sanctorum curam habuit. Cum S. Clemens in exilium pulsus, alligata ad collum anchora in profundum maris demersus est, a quo maris ad tria millia recesserunt, ita ut Angeli in profundo ædiculam pro sepeliendo sacro corpore ædificarent. S. Catharina Martyris corpus ab Angelis in montem Sinai translatum est. S. Paulo Eremita duo leones scrobem sepulchralem unguibus paravit. S. Stanislai corpus in frustra concisum aquilæ comportavit, ut a Fidelibus sepultura inferri posset, &c.

## PARS SECUNDA

Virtutes Cardinales.

PRUDENTIA.

211. Quid sit? Quæ ejus opera?

**S**anctus Thomas ait: *Hæc sola dicitur prudentia simpliciter, quæ ad bonum finem totius vite recte consistit, & præcipit, quæ in peccatoribus esse non potest.* M. conc. 43. in Exord. nu. 2. Vide Sanchez 6. part. c. 10. fol. 833. seq.

Prudentia est omnium virtutum dux, & auriga, ait S. Antonius, quæ singulas hominis actiones ordinat & moderatur, itaque hominem disponit, ut secure finem omnium expectet, & fidenter coram tribunali Christi fistat. Quoad etymon nominis prudens est quasi *porro videns*; nam ut ait Isidorus, *Prudens perspicax est, incertorum casus videt.* Definitio ejus hæc traditur a S. Augustino: *Prudentia est rerum appetendarum, & fugiendarum scientia.* Ab Aristotele: *Est recta ratio agentium.* Ab aliis: *Est virtus intellectus, quæ in quovis negotio occurrente novimus, quid honestum sit, quid turpe, quid faciendum, quid fugiendum.*

Partes integrantes Prudentia sunt sex: 1. *Providentia*, quæ est consideratio futurorum eventuum, qui possunt sequi ex opere. 2. *Ratio*, seu promptitudo colligendi unum ex altero. 3. *Docilitas*, seu habilitas ad discendum. 4. *Solertia*, sive sagacitas ad inveniendam media brevissimo tempore. 5. *Circumspectio*, seu consideratio circumstantiarum operis. 6. *Cautio*, seu cura vitandi pericula, & incommoda operis. C. 1. Petr. 4. v. 7.

Officia prudentia sunt quatuor: 1. *Consilium* ex bona deliberatione. 2. *Judicium*, in eligendo apto remedio ad finem. 3. *Constantia* in retinendo eo, quod judicatum est. 4. *Diligentia* in exequendo. His totidem vitia, seu actus imprudentia opponuntur: Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, & Negligentia. Prudentia ergo est mensura, & regula virtutum omnium. C. 1. Petr. 4. v. 7.

212. Innititur principiis sane rationis.

*Quod inter metalla est aurum, hoc inter Philo 1. virtutes est prudentia, ait Philo. In hoc maxime versatur, ut nihil sine regulis, & ducta rectæ rationis agat: Ejusmodi regula*

le sunt: 1. Nihil aggrediendum sine prævia consideratione. 2. Id semper facito, cujus te non poeniteat. 3. Prudentia perfecta nihil in rebus humanis admiratur. 4. Virtutibus omnibus utitur, atque eamdem modum, ordinem, & occasionem, velut oculos actiones, moderatur. 5. Prudentia præterita meminit, præsentia agit, futura præcævet. 6. Sicut cicatrix admodum, cavendum esse vulnus, ita memoria præteritorum malorum reddit cautiore. 7. Ordinem facit inter bona & mala: Opes postpositam famam, vitam vitæ, vitam conscientia. In malis minimum eligit, in bonis maximum. 8. Præveniendum sunt hostium consilia, antequam cum damno creantur. 9. Præsentibus bonis uti præstat, quam fugientia quærere; sic certa dubiis, multa paucis, facilia difficilibus, publica privatis, Divina humanis, caelestia terrenis anteponenda sunt. 10. Satius est sua tueri, quam aliena cum periculo appetere. 11. Accommoda te tempori, necre in aliquibus mures, sed potius aptes. 12. Prudentia est, futuram injuriam præcævere, illatam vero non ulcisci. C. 1. Petr. 4. v. 7.

213. Respicit finem, &amp; effectus.

Joannes & Alexander fratres, Comites Gaurii, hostiliter insensu erant Jacobo Regi Scotiae, eo quod capitale supplicium sui parentis approbasset. Joannes ergo refert Regi, dum venatum exibat, in domo sua inventum esse pretiosissimum thesaurum: Rex nimis credulus venit cum modico comitatu in ades Gaurii, ducitur per aliquot cubacula clauso semper ostio, tandem in ultimo videt stare capharthum militem cum stricto acinace: Gaurius ait Regi, en hic erit thesaurus tuus, moriendum tibi erit! Rex perditum seratus, cum inermis esset, eloquenter simul & amicabiliter perorare cepit: cogitavit quid ageret, hac vindicta totam ejus familiam interituram, quia nihil esset scelestius, quam violentas manus injicere in suum Principem! &c. Hac eloquentia terribus miles sublitit, nec ausus est ferire, donec Regis pedessequi, præsertim Dux Lenoxius, & Comes Marius, cui suspecta res erat, effraçis possibus illi subvenerunt: cæsi sunt & Joannes & Alexander Comites. Quid redemit Regem? unica hæc deliberatio: Quid fiet postea? sic quilibet in suis actionibus debet respicere finem. Vide Theatrum Trag. Princ. hist. 1.

Piger mittitur ad fornicam. Quare?

quia fornicata pro sterilitate hyemis de annona sibi in æstate providet. C. Gen. c. 1. v. 20. ad finem.

Joseph futuram sterilitatem prævidens cum omni industria triticum coemi, convehit, & conservari jussit. Ubi S. Augustinus annotat: *Utinam homines novissimas providerent contra sterilitatem futuram, sicut Joseph.* B. Sermon. 6. n. 20. & seq. Item Sermon. 7. n. 4. & seq. Item Sermon. 49. n. 4.

214. Utilis est ad omnes fortasse casus.

Dionysius Rex regno pulsus, interrogatusque quid ipsi nunc prodesset Plato & Philosophia studium? reposuit: ut tantam fortunæ mutationem æquo animo feram. C. Exod. 25. v. 31. fol. 520. c. 2.

Sicut exercitum ducit Imperator, gubernator navim, Mandum Deus, & animam ipsa mens: ita felicitatem præsentis vitæ temperat, regique prudentia, ait Arctichas. C. 1. Petr. 4. v. 7. Item Prov. 24. v. 8.

Prudentia hæc ipsa discretionis virtus est, quæ sciat uniusquisque quid in quavis rerum peritissimæ, & circumstantia prudentem juxta dicamen rationis, legemque Dei agere, vel non agere debeat. Nam, ut ait S. Basilus: *Vera hominis consilii prudentia, discretio est rerum, quæ faciendum sunt, vel non faciendum, & velut probus nummularius, quod probum est retinet, & ab omni mala specie caret.* Sicut enim nummularius partim visu, partim tactu, partim pondere, partim sono monetam probam a falsa discernit, & examinat: sic prudens actiones bonas, a pravus judicio rationis, & Legis Divinæ dijudicat & discernit, &c. C. Prov. 1. v. 3.

Præsertim prudentia necessaria est præfectis, & gubernatoribus, vi cuius consilia & praxes in promptu habeant ad regendum seipsum, & suam domum, item ad regendam civitatem & republicam, sicut narchus regit navigium. C. Prov. 1. v. 3. Hæc autem directio non est pro semper & ubique equalis, juxta illud: *Lætatur homo in sententia oris sui, & Prov. 15. sermo opportunus est optimus.* Prudentia esse in consilio, sive extra illud debet esse accommodata temporis, sæpe enim quod in se est bonum & utile, hoc tempore non est bonum, sed malum & noxium, &c. C. Prov. 15. v. 23.

215. Altiore se non quærit.

Expresse monet Siracides: *Altiore te ne quæseris: quia non superbis, sed humilibus*

1640. 1.  
20. Epy.  
mol. c. 15.  
S. Aug. 1.  
1. de lib.  
arb. c. 13.  
Arist. 6.  
Ethic. c. 5.

Arbitr.  
ap. Strab.  
Ser. 11. de  
Sire.

Prov. 15.

liber ea revelantur. Sensus est. 1. Noli scrutari, quae Deo tibi occulta esse voluit, hoc est, res abditas, & a natura ipsa involutas. *Noli curiose inquirere in secreta Dei, dictum est Hebraeorum, non licet interrogare, quo consilio, & quomodo ab eorum Creator hoc vel illud fecerit;* nam omnia facit sapienter, tametsi ea lateant sapientes. 2. Notanda est particula *Te*, altiora te; quod enim te est altius, potest non esse altius me, & vice versa; sicut altius aure velle videre, oculo velle audire, pede velle transcendere caput, commensum est vero auri audire, oculo videre, pede ambulare; ita altius est idiota velle scrutari aliorum ordinis, & cursus, id vero commensum est astrologo. Altius est rustico investigare causas finis, grandinis, ventorum, id vero commensum est physico. Altius est laico disputare de mysteriis & controversiis fidei, id vero commensum est Theologo. Ita S. Basilii cocum, nomine Demosthenem, qui secum volebat de SS. Trinitate disputare, & Arianismum propugnare, false repulit dicens: *Hodie vidimus Demosthenem insulsus & infantem! tuum est, mi bone, pulmentum coquere, non de Theologia differere.* 3. Altiora quaerunt, qui ea, quae suum caput transcendunt, curiose indagant v. g. qui Cingaros consulunt de fortuna, & sorte sibi obvoluta, qui sagas interrogant, de eventibus futuris, aut praesentibus occultis: qui scire a Deo vellent, an sint praedestinati, de quibus Sapiens enunciat: *Qui scrutator est Majestatis operum, a gloria.* 4. Hinc monito contraveniunt etiam in humanis v. g. in Politia, qui quaerunt, cur Princeps aut Magistratus haec aut illa faciat; habet enim rationes altiores, & universaliores, quas tu ignoras. Rursus huic monito contraveniunt, qui statum & professionem suam excedunt v. g. cum sis plebeus, vis haberi Nobilis: cum sis chirurgus, vis haberi Medicus: cum sis optifex, vis agere Doctorem: cum sis Grammaticus, vis agere Theologum. In quos extat paramea Hebraeorum: *Camelus abiit, ut cornu quaerere, & aures, quas habebat, amputaverunt ei;* qui enim indebita ambit, debita amittit, & qui aliena invadit, propriis mulctatur. C. Eccli 3. v. 22.

216. *Non se immiscet discordiis alienis.*

Gasto Dux Aurelianensis erat infensus fratri Ludovico XIII. Regi Galliae, eo quod Richelium Cardinalem ad Regimini clavum adhiberet: ite ergo in Belgium ibi contra fratrem exercitum con-

scripturus: partes Gastonis acerrime tenuit Dux Montmorancius, sed suo malo; quippe duo fratres Regii reconciliati sunt, Montmorancius autem in praedio victus, captivatus, & tanquam perditionis reus Tolosa in Languedocia a carnifice decapitatus est. Theat. Trag. hist. 36.

Prudentum est, pullulantes belli causas inter amicos protinus incidere. Imprudentum vero est, tumultus occasionem excitare. Praestat etiam amicis inimicitias condere, quam amicos cum inimicis tollere. C. 1. Petr. 4. v. 7.

Sicut medicina medetur corporis morbis, ita sapientia (& prudentia) animi perturbationibus; ait Clemens Alexandrinus; *Sapient enim est, prout loquitur S. Bernardus, cui quoque res sapient, prout sunt.* Cum ergo hanc tranquillitatem animi quaerere & conservare studet, non vult turbare partium studiis, & dissidiis alienis misceri, nisi in quantum iis componendis operam suam impendere prudentia dicitur. C. Eccli 31. v. 34.

Altiora te non quaeris, recepta paramea est, cui similibus illa, alienis te non immisceas; quia suscipis onus forsitan intolerabile; ex duobus dissidiis, si pacem componere fatigas, unum offensis, aut fortassis utrumque. C. Eccli 13. v. 2. Item Eccli 3. v. 22. Vide supra.

217. *Nihil agit sine consilio.*

Respublica Norimbergensis originem trahit a Valencennia urbe Hannonia; a qua etiam Norimbergenses Regulas politicae, & prudentes Viros petierunt, quibus in coordinando urbis suae Regimine se conformare: Item Bruxellis, & Venetiis Viros prudentes & expertos advenientes, exemplum imitati Romanorum, qui, ut felicitatem suae Republicae stabilirent, ab Atheniensibus Viros prudentes petierunt. Ita oportet consilio Majorem acquiescere. VV. Art. Disc. Font. 10. Ex. 1.

Celebre est illud Euripidis: *Unum consilium rectum magnam militum manum vincit,* illudque principium in pace non minus quam in bello usurpandum. C. 1. Petr. 4. v. 7.

Eum auscultat, cui quatuor vult aures, id est, qui diuturno complurium rerum usu plus sapit, uti sunt senes, qui res publicas & privatas diu tractant; commune hoc consilium est. C. 1. Petr. 4. v. 7.

Annales Patrum discute, ajebat Aristoteles ad Alexandrum, inde poteris exempla extrahere agendorum; quia praeterita dant documentum de futuris. C. 1. Petr. 4. v. 7.

Clemens  
Alex. 1.  
Pedag.

Sapientis est, bonorum suasioni assensum praebere. *Audient sapiens sapientior erit.* Ubi S. Hieronymus: *Offendit Salomon neminem in hac vita ita sapere, ut ejus sapientia nequeat augeri.* S. puncti. 122. fol. 379. David est Spiritum Dei habere, semper tamen Prophetas Gad & Nathan consiliarios a latere habuit. Moyses uter Deo plenus a Jethro Sacerdote Madian consilium accepit. Salomon sapientissimus viros graves pro consilio adhibuit. S. puncti. 122. fol. 380. & seq. Consilium simile aromati. C. Prov. 27. v. 9.

Deus infinite sapiens creaturus hominem consilium inicit inter tres SS. Trinitatis Personas: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ad exemplum, ut homo a creatione sua discat, omnia agere cum consilio.* Unde aeterna Dei sapientia de seipso profertur: *Ego sapientia habito in consilio.* Econtra in precipitatione habitat insipientia, & amentia. Aristoteles ait: *Consilium capere eorum, quae inter homines sunt, Divinissimum est.* Et Pythagoras in syabolis: *In solitudine sine baculo ambulandum non est, id est, cum amicis in necessitatibus conferendum & consulendum.* Item alibi: *Daorum temporum quam maxime cura habenda est, Matutini, & Vespertini: id est, eorum, quae aduri sumus, & illorum quae egimus: illa consilio praevidentia, ista emendanda sunt.* Prudentissimus Vir a Ptolomaeo Philadelpho interrogatus, quibus consultoribus utendum sit? respondit, qui moribus simillimi sunt consulerent. C. Eccli 32. v. 24.

Quae sine consilio, aut contra consilium prudentum acta sunt, plerumque insipientem habuerunt exitum. Roboam, quia stulta juvenum consilia praesuli sapientibus senam moribus, hinc potiore regni parte privatus est, Hebraeus impostor suavitudo Ezido Regi, ut sacras imagines everteret, promittens, quod si id faceret, longevam vitam ultra triginta adhuc annos esset producturus. Rex fecit quod persuasus est, iconoclasta factus, sed ultra annum cum dimidio non vixit. Filius autem Regis deceptorum Hebraeorum turpissima morte condemnatus. Victoria impio Hispaniae Rex, subditorum rebellionem timens, muros urbium, juxta malum eujusdam consilium, destruxit, sed a subditis paulo post regno & oculis privatus misere perit. Sic Ludovicus Mediolani Dux, cum Galeatio fratri Ducatum pro scelus abulit, a Rege Galliarum victus, captivus, & cavea inclusus, misere perit, &c. C. Jerem. 44. v. 30.

Sacer Proverbias ait: *Via stulti recta in oculis ejus, qui autem sapiens est, audit consilia.* Sensus est: stultus, & imprudens, id quod judicat, aut concupiscit, oculis mentis sua center esse aequum & rectum, unde sibi praesens, alios consulere negligit; ac sapiens suo judicio diffidens alios consulit, eorumque consilia libens amplectitur, & sequitur. 1. Quia stulti sunt superbi, potantque se plus aliis, imo se solos sapere: ac sapientes sunt humiles, sciuntque in propriis facile quemlibet falli; quia amor proprius excoecat. 2. Quia stulti amant suas cupiditates, nec sinit se ab iis avelli, quare cavent alios consulere, ne judicia sua mutare vi veritatis cogantur. Sapientes autem sequantur iudicium rationis, & Divinae legis, ne latens amor cupiditatis eos decipiat. 3. Stulti sunt duri cerebri, & pertinaces: ac sapientes sinit se duci & flecti, quocumque eos ratio & veritas consiliorum ducit. Certe S. Augustinus vii scripta iudicio S. Ambrosii, & Ambrosius iudicio S. bini proficit. C. Prov. 12. v. 15.

218. *Tenet certum praevincit.*

Abraham iussu sacrificare filium e domo paterna secum ligna holocausti, & ignem apportat. Cur ligna? nonne certus erat, quod in Monte Moria esset ligna inventurus? Non erat certus! cur ignem secum dedulit? ut tanto effectuscurior, quia fomes praeteritum tempore nebuloso forsitan ignem non reddidisset. B. Ser. 24. n. 17.

David in pugna contra Gigantem progressus, lapsus ex torrente secum sumptis. An ergo non dabantur lapides in ipsa pugna arena? forsitan dabantur! sed hinc forsitan, fidere non voluit egregius juvenis, ideo securiora elegit. *Prinquinum uret ad bellum, elegit lapides, quia forsitan postea non reperiret lapides in loco, ait Abulensis.* B. Ser. 8. n. 14. & seq. O utinam hanc prudentiam sibi commendatam haberent peccatores, qui peccant se veniae, qui praesentium differunt ad ultimam vitae horam, &c.

Sapientis timet & declinat a malo: stultus transiit & confidit. Ponamus duos viatores, qui in itinere deveniunt ad fluvium: unus quaerit pontem, quod transeat: alter committit se aquis, & transvadare nititur. Primus sapiens est, quia cautus; alter stultus est, quia in periculum se coniecit. Sic res se habet in periculis animae: Qui peccatum, quantum valet, declinat, timens, ne involvatur malis, sapiens est; stultus autem, qui contem-

prim

prim peccat, blandiens sibi. B. Serm. 48. n. 16. Item Serm. 49. n. 4.

219. Parat divitias temporales, & spirituales.

Liquet ab experientia, quod prudentia, & sapientia parat gloriam, & opes stabiles ac durabiles; quia vir prudens ac solers ordinarie fit dives, & gloriosus; dum contra opes insipientium, & impiorum, quas ipsi parant per fraudes & scelera ab iniquis possessoribus avolant, juxta illud: De male questis non gaudet tertius heres. Exemplo fit Rex Salomon, qui per prudentiam, & sapientiam factus est regum opulentissimus. C. Prov. 8. v. 18.

Spirituales gratia, & virtutum opes, quae sola verae sunt, semper afferuntur a prudentia, & sapientia; illae sunt, quas pernitiosus avorum gazis opponens Apollonius ait: Tu autem o homo Dei hinc fuge! scilicet vere justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. C. Prov. 8. v. 18.

Gloria, quae juxta S. Augustinum, est clara cum laude notitia, tam temporalis, quam aeterna, est individua comes prudentiae & justitiae. C. Prov. 8. v. 18.

Alphonfus Rex Arragoniae potentissimus interrogatus, quomodo opibus privari, & ad paupertatem redigi posset? respondit: Si venderetur sapientia; illam enim omnibus opibus praferrem, & emerem, &c. C. Baruch. c. 3. v. 14.

Homo salutis studiosus imitetur industriam formicae; nam i. formica in aestate colligit frumentum, de quo in hyeme vivat: ita Christianus praesenti tempore providus fit colligendo merita pro futuro. 2. Grana incidit, & arrodit oculos feminis ne germinet: ita Christianus opera sua praeservet a vanitate, ne inani gloria corumpantur. 3. Grana meliora seligit: ita Christianus excellentiores virtutum adus exerceat. 4. Praesentis feracitatem, & tunc grana in aere siccant: ita Christianus in pace publice suam doctrinam, actusque virtutum exponat, in tentatione vero & persecutione eisdem abscondat. C. Prov. 6. v. 8.

220. In omnibus utitur discretione.

Fratrum aliquis immoderato labore frangebatur saxum, & senex quidam vidit penes ipsum diabolum, qui malleum cum eo tractabat, eumque ad laborandum instigabat, donec totus fatigaretur. Unde

1. Tim. 5.

cabat hoc senex fratri, & eum monuit; &c. E. Laborare n. 5.

Cognus diurno labore lassatus, tandem post completorium ad orationes persolvendas accessit, & beatissimae Virginis speciales devotiones persolvere voluit. Verum somnus eum obruit, cum quo ubi multum luctaretur, apparuit ei Domina pulcherrima inquires: Fili mihi satisfecisti, vade dormitum &c. E. Maria n. 35.

Ex loquela cognosci potest prudentia loquentis, juxta illud: Doctrina sua nocetur vir. Ad hoc autem, ut prudens fit loquela, & loquenti aestimationem pariat, requiritur 1. ut sit verum, quod ait, & alienum ab omni fallitate & mendacio. 2. Ut sit sincerum, & alienum a simulatione & hypocrisis. 3. Ut sit alienum a levitate, & ludicro nugurum. 4. Ut sit justum, & alienum ab injuria aliorum. 5. Ut sit utile, & alienum a damno, & noxa. 6. Ut sit maturum, & opportunum tempori, loco, & personis. Exemplum fit Joseph, qui in domo Putipharis, & in carcere, & in aula Pharaonis ita se gessit, ut toti Aegypto fuerit praefectus, Item Daniel, qui a Nabuchodonosore praepositus fuerit toti Monarchiae Babylonorum. C. Prov. 12. v. 8.

Prudentia dicitur misericordiam, scilicet in omnibus longanimiter tolerandas esse proximorum infirmitates, & desensus. C. Prov. 19. v. 11.

221. An loquomodo differat a sapientia.

Prudentia est virtus intellectualis ad dirigendas cum certa, & recta ratione actiones humanas circa res moraliter bonas aut malas. Sapientia est directrix omnium scientiarum, veluti scientia magis alta & magis universalis, discurrens citius principis magis universalibus super rebus abstractissimis in qualibet materia, habens pro objecto principali ens qua ens, atque substantias spirituales & Divinas.

Prudens est actionum suarum moderator, sui que ipsius, siquidem passiones edomitate obsecundant voluntati, & voluntas intellectui. Sapiens est ille, qui majori acutia penetrans quascunque notitias ac circumstantias, in eis ad invicem collatis, mox deprehendit principia evidentia & aeterna.

S. Augustinus varie definit sapientiam, ut ejus officia, bona, & dona describat. Dicit: Est via recta ad veritatem. Est rerum Divinarum, & humanarum scientia. Est modus, quo sese animus librat, ut neque excur-

Prov. 10.

excurret in initium, neque infra quam plenum est, coarctetur, &c. Quae omnia etiam suo modo prudentiae conveniunt. C. Beclii. v. 25. Item Jac. 1. v. 5.

222. Quomodo acquirenda praedice.

Comede Fili mi mel, quia bonum est, & solum dulcissimum gutturi tuo; sic loquor sapientiae animae tuae, &c. Hoc monito facer textus erudit, comparando prudentiam seu sapientiam mellis, quomodo illa acquirenda sit. 1. Mel de calo depluit, & est quasi mamma caeleste: sic prudentia, teste Plinio, est sudor calis, & Divinum nectar, quod primario a Deo petendum est. 2. Mel conficitur ab apibus, quia virgines sunt; hinc Pindarus apes, sacras Cereris ministras appellavit: sic prudentiae, & sapientiae comes est castitas, & Sancti odemunt impuros, uti S. Catharina Senensis odorem intolerabilem sentie apud impuros. 3. Mel conficitur ab apibus pacificis, & mira concordia collaborantibus: ita prudentia pacifica est, fugit discordiam. 4. Optimum mel conficitur ab apibus parvis, ita vera prudentia, & sapientia optime discitur, & docetur ab humilibus & mansuetis. 5. Mel saluberrimum est, omnesque cibos dulcorat: sic prudentia & sapientia, omnes res, quantumvis tristes, & adversas dulcorare, & sapidas efficere debet. 6. Mel omnibus se immiscens, omnium saporis se accomodat, in vino habet dulcedinem vinofam, in carne carneam, in farina farream &c. Ita prudentia & sanctitas omnibus rebus, temporibus, & personis se attemporat; quare alia est sapientia juvenum, alia senum, alia sacerdotum &c. 7. Mel est benedictum, & saluberrimum, plurimisque morbis medetur, facit sanos, & longevos. Ita prudentia, & sapientia est saluberrima, omnesque animae, & saepe corporis morbos sanat, ac facit longevos. 8. Mel sincerum est, purum, & minime fucatum: sic prudentia & sapientia debet esse sincera, & candida, omnisque simulationis experta. C. Prov. 24. v. 14.

223. Quomodo habere se debeat erga Deum?

Finis ultimus, ad quem creatus est homo, Deus est: ad hunc semper tendat, hunc semper prae oculis praesentem habeat, semperque sibi ipsi dicat: Prope est ad me Deus, necum est, intus est! Sacer intra nos Spiritus sedet, malorum, bonorum. Claus. Spirit. univers. Pars II.

Seneca Ep. 41.

rumque nostrorum observator & custos; Bonus Vir sine Deo nemo est!

Semper ama Deum super omnia, ita, ut ad ejus honorem opera tua omnia referas, & nullo peccato offendas. Internis inspirationibus morem gere, semperque cogita, quid ad Dei gloriam & benedictum conferre possis.

Memento, quod Deo nihil clausum, nihil occultum fit, intimum pectus inspicit! igitur internos etiam animi motus, cogitationesque ita coordina, ut Dei conspectu digna sint.

Religiosi tibi duc semper de Deo bene sentire! firmiter crede, illum juste sapienterque omnia administrare; ideo paratus esto, tam bona, quam mala de manu ejus accipere, quia omnia cedunt ad ejus voluntatem, & gloriam. Adeoque tam in prosperis, quam adversis semper ex animo dic: Fiat Voluntas Dei! ut semper Deo dicere possis: Num gubernationem tuam reprehendis? Vis me mori? paratus sum ex voluntate tua! Vis me aegrotare? Volo, quia tu voluisti! Pauper lum te volente, sed latus! Nunquam appetivi imperium, aut excellentiam, nunquid me unquam hac de causa tristem vididisti? Paratus sum, siquid mandes, siquid imperes! Haec me cogitantem, haec scribentem, haec legentem occupet mors!

Solus cum Deo conversari ama, hinc turbam fuge, solitudinem quaere, domi te concludere; nunquam enim mores, quos extulidisti, referes, aliquid ex eo, quod composuisti, turbatur: inimica est virtutis conversatio; nemo enim aliquid vitii aut commendat, ac imprimat, aut allinit.

A bonis terrenis, quae Deus dedit, aut negat, animum avulsam habes: Nunquam te aliquid perdidisse dicis, sed reddisse. Sicut ille obiit? Redditus est! Pradium est erupit? An non id quoque est redditum? At improbus est, qui erupit? quid ita tua referat, per quem is, qui dederat, abste reperiret?

Divinam voluntatem in omnibus amplectere, & tuam illi conforma! puta, quae sunt, debuisse fieri, optimum est patri, quod emendare non potes. Dei natum sine murmuratione sequere: malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur. Hic magnus est animus, qui totum sese Deo tradidit, degener autem, qui mavult Deum, quam se emendare.

224. Quomodo erga proximum.

Proximo in omnibus sine corporis, sine animi necessitatibus succurre, & quantum potes adjuva.

Epistol. Divers. 30. n. 6.

Epistol. c. 15. Enchir.

Seneca Ep. 107.

98  
Cave ne quemquam facis, aut dictis offendas; qui enim proximum offendit, offendit Deum. Bene sentias de omnibus, nulliusque facta in malam partem trahas. Quæ tibi facta voles, fac etiam alijs. Vis laudari, æstimari ab alijs, etiam alijs lauda & æstima. Vis ab alijs tibi ignoscere delicta, etiam alijs ignosce! in omnibus iustitiam cole.

Judicia hominum sperne; nam quæ tu scis, non probat populus, quæ probat populus tu nescis! paucissimis placere potes, multo minus omnibus!

Aliorum exempla, quæ bona videris, imitare: cum aliquid negotii est cum alio, cogita, quid in ea re facturus fuisset, qui melior, aut sapientior te est! ita ratio te nunquam deficiet.

Adjuvare te possunt, non tantum qui sunt, sed & qui fuerunt. Ex his autem qui sunt, eos elige, qui vita docent, id est, qui ipsi faciunt, quod suadent, & nunquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur.

Verbis impetuosus abstine: disputationes plus strepitus habent, quam utilitatis: non multis verbis opus est, sed efficacibus, ut persuadeas, feminis instar, quod licet fit exiguum, cum terram idoneam invenerit, plurimos fructus facit.

Jactantiam cave in familiari congressu, nec laudes tua facinora; non enim perinde suave est audire, quod tibi iudicandum est, memorare.

Injuriam contemne, nec ullum dolorem, aut aversionem erga injuriantem in animum admittit. Noli vexari opinione; pueri sunt, qui umbra, aut personarum deformitate, aut depravata facie terrentur. An metuis, ne quidquam honoris perdas? Sapiens nihil perdere potest; quia omnia in se reposita, nihil fortunæ cedit! contentus virtute vivit, & fortuitis non indiget, ideoque nec minui, nec augeri potest. Ad summum perducta incremento non dant locum. Nihil eripit fortuna, nisi quod dedit, virtutem autem non dat, ideo nec detrahitis. Libera est, inviolabilis, inconcussa, adeo contra casus indurata, ut nec inclinari quidem, nedum vinci possit. Validius debet esse quod lædit, eo quod læditur, non est autem fortior nequitia virtute. Non potest ergo lædi sapiens.

225. Quomodo erga seipsum.

Hanc vitam temporalem transiens Christianus ita fideliter Deo servire, & conscientiam ab omni peccato immunem ser-

vare debet, ut moriens aliquando dicere possit verbis S. Pauli: *Bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Hinc transitoria contemnere, æterna querere, & soli virtuti studere debet.

Deum finem suum semper respiciat, animam præ omnibus terrenis curet, virtutem supra omnia mundi bona æstimet, peccatum super omnia mala detestetur, & fugiat.

Corpus non immoderate diligit. Fa-teor, inquit Seneca, insitam esse nobis corporis caritatem & tutelam! nec nego, indulgendum illi, serviendum nego! Multis fertur, qui corpori servit. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam non possimus sine corpore. Hujus non nimis amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumelijs obicit. Major sum, & ad majora genitus, quam ut mancipium sui mei corporis, quod non alter aspicio, quam vinculum libertati meæ circumdatum. Contemptus corporis sui certa est libertas.

Creaturis inhærendum non est, sed animus ad cælestia elevandus. Sicut navigantes, cum subducto navigio aquatum exeant, cochleas quidem in litore colligunt, sed animum semper ad navim intentum habent, solliciti, ne gubernator vocet, & tum cito illa omnia relinquunt.

Resistendum concupiscentiæ & voluptati; hinc enim si cesses, cedendum erit dolori, cedendum labori, cedendum pauperati, alijsque malis. Non satiatur libido, sed irritatur! Nunquam vidisti canem missa a Domino frustra panis, aut carnis devorare? Quidquid excipit ore, statim deglutit, & hiantem rictu plura expectat. Sic libidini venit; ex lapsu non fit mitior, sed impudenter. Quisquis facit, hanc scyllam & charybdis fugit!

Principium maximum prudentiæ est, Seneca tempus bene impendere: omnia aliena sunt, *ep. 71.* tempus tantum nostrum est. O quam infelix, quem tangit illud Senecæ: Magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Id agamus, ut omne tempus nostrum sit: non erit autem, nisi prius nos nostrum simus.

Christianus studeat seipsum nosse: difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus, ut Harpasse mulier fatua & cæca, nescivit se esse cæcam, sed domum tenebrosam dixit. Id etiam nobis contingit; nemo se avarum, nemo superbum, nemo iracundum, nemo vindictivam fatetur; quia vitia specie virtutum excusamus.

Sa-

Sapientia.

226. Quid sit? quinam illius esse dicitur.

Est Directrix omnium scientiarum, discurrens cum principijs magis universalibus super res abstractissimas, habens pro objecto principalem Deum, & substantias spirituales. Alphonsus Aragonix Rex interrogatus, quid sit sapientia? respondit: Ego eam existimo esse Dei filiam, immortalem, & soli homini inter animalia datam. C. Baruch 3. v. 14.

Cicero vocavit sapientiam, hominis custodem, & procreatricem. Alius vocabat sapientes esse Prometheos. Ignis enim Promethei doctrina est, qua remota ex homine truncus, & qua addita et truncus redditur homo. C. Baruch 3. v. 14.

De hac ait Eccl. *Deum time, & magna data eius observa, hoc est enim omnis homo: ubi S. Bern. si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est homo, nec homo est, sed aut saxum aut bestia. Ibidem.*

Constantinus Imp. sapientiam ponit in mansuetudine, inquit: Hæc cælestis plane, & Divina est sapientia, ut patimur malum injuriam quam facere, & damnum potius accipere, quam inferre parati simus. C. Baruch Ibid.

Initium sapientiæ est timor Domini, ubi S. Thomas, timorem vocat primum sapientiæ effectum. Hoc est, timor Dei servilis viam parat sapientiæ, & sapientia parit timorem filialem, qui & ipse amor Dei super omnia. C. Eccl. 1. v. 15.

Conciliat animi pacem, & corporis sanitatem: quia sapiens omni studio declinat ea, quæ animi pacem turbare, & sanitatem auferre possunt; hinc sancti alacritate, & tranquillitate animi adeo excitabantur, ut morbos etiam nihil curarint, &c. Eccl. 1. v. 22.

S. Augustinus sapientiam varie definit, ut ejus officia, dona & bona repræsentet: Dicit: Est via recta, quæ ad veritatem ducit. Est rerum Divinarum, humanarumque scientia &c. C. Eccl. 14. v. 25.

22. Conferret ingentia beneficia possidenti.

Ecclesiasticus singillatim recenset, quæ & quanta beneficia misericordibus, de quibus agebat, sapientia conferat: 1. Filijs suis vitam inspirat. 2. Suscipit inquirentes se. 3. Præbit in via justitiæ. 4. Qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus. 5. Quo introibit sa-

piens, benedicit Deus. 6. Qui servient ei, obsequentes erunt sancto. 7. Qui diligunt illum diligit Deus. 8. Qui audit illum, judicabit gentes. 9. Qui intueatur illum, permanebit confidens. 10. Si crediderit ei, hereditabit eam. 11. Erunt in confirmatione illius. 12. In tentatione ambulat cum eo. 13. Firmabit illum. 14. Lætificabit illum. 15. Denudabit abscondita sua illi. 16. Et denique thesaurizabit super illum scientiam & intellectum justitiæ, quæ omnia falsus ibi explicantur. C. Eccl. 4. v. 12.

Eundem in modum sapientiam exitimos fructus afferre describitur: 1. Animam liberat a tenebris, quas peccatum parit. 2. Eximit a tormentis, quæ mens sibi male conscia sentit. 3. Liberat a metu inferni, quem peccator commeruit. 4. Erigit animam in spem vitæ æternæ. 5. Elevat animam ad confidendum in Deo tanquam Patre. 6. Expectat diem mortis cum fiducia. 7. Sentit jam nunc lætitiæ cælestem &c. C. Eccl. c. 6. v. 20.

Sapientia ita componit turbulentos animi motus, ut sapiens sit in perpetua pace & jucunditate: Ratio est 1. quia sapiens est, cui res omnes sapiunt, prout sunt: ergo semper est in pace. 2. Quia sapiens res sibi, seque rebus accommodat; ergo ubique pacem, & requiem invenit. 3. Quia sapiens semper est solutus, & sui juris; habet enim animum terra celsiorem in Deo fixum; unde omnia tam adversa quam prospera parvi pendit, & ad se non pertinere existimat &c. C. Eccl. 51. v. 34.

228. In omnibus adionibus elucet.

Sicut alciones media hyeme mare tranquillum præstant, non solum sibi sed alijs quoque: ita sapiens turbatis animi rebus, non solum ipse tuebatur animi tranquillitatem, sed & alios concitatos componet & sedabit. 2. Sicut in culice non minus admiranda vis est, quam in elephante, ita sapientia in maximis pariter ac minimis negotijs magnum virum ostendit. 3. Sicut cochleæ lente progrediuntur, nec usquam fe movent, nisi cornibus præterantur: ita sapiens cunctis abundans est, & pedetentim rem aggreditur, gustu quodam prius sumpto. 4. Sicut quo directus nos ferit sol radijs suis, hoc minor est umbra nostri, quo vero obliquus, hoc magis increvit umbra corporis: ita quanto plus quisque affectus est sapientiæ, hoc minus magnificus fe sentit: quo longius abest ab ea, hoc fe magis dilata-

G. 2.

122.

tat stultissima persuasione sapientia. 5. Sicut adamas nec igni nec ferro cedit: ita sapientis animus adversus omnem fortunam impetum invictus est. &c. C. Ex. 25. v. 18. fol. 517. col. 1.

Sapientia Ethica, Oeconomica & Politica homini Christiano conveniens & necessaria est. Optime autem addiscitur ex apibus, quæ quasi Republicam in Ethicis, Oeconomicis, & Politicis ordinatissimam habent, prout erudite describit Plinius. C. Eccl. 11. v. 3.

### 229. Obtineatur certis dispositionibus.

Ad apicem sapientia multi gradus ascendendi sunt, tanquam præviz dispositiones, quales sunt: Studium seu improba diligentia, docilitas in obediendo Magistris, intentio animi, attentio cordis, timor, & tremor, animi demissio, gaudium, obsequium erga sapientes, subtilitas in disputando, alacritas, patientia, intelligentia Scripturae, peritia legis tradita, parum negotiationis temporalis, parum somni, modicum risus, modicum delectationis, tarditas irascendi, fidelitas, persequio tribulationum, suæ conditionis agnitio, prudenter loqui, nullum honorem sibi arrogare, &c. Sic sapiens graviter & circumspicte in omnibus procedit: Non est ambitiosus, non vane extollitur, non libenter tanquam iudex sententiam pronuntiat, onus & iugum proximi placidissime portat, omnia ejus dicta, & facta in meliorem partem detorqueat, in pace & veritate eum confirmat. Quærit & respondet, audit quæ dicuntur, & insuper de suo doctrinam addit. Discit, ut doceat, & in praxin, quæ a præceptoribus accepit, reducat, &c. C. Eccl. 6. v. 33.

Sapiens debet fugere pericula sicut serpens, qui hyeme contra frigus foraminibus, & latibulis, æstate contra insidias sub herbis, & follis se abscondit. Sic faciunt etiam & hominem suo exemplo erudiant multa alia animalia, uti conchæ, polypti, olivæ, cancri, testudines, crocodili, milvi, turtures, grues &c. C. Prov. 22. v. 3.

### 230. Ex operationibus se prædit, & laudatur.

Verus autem sapiens 1. Nec rebus secundis effertur, nec adversis deprimitur. 2. Negotia dextere obit, nec in vita mutationibus perturbatur. 3. Audire Dei vocem, iustitiam discere, humana contemneret, Divina suscipere satagit. 4. Paræ men-

ti studet, per quam Deo conjungitur. 5. Vincit iram & saepsum. 6. Contemnit fortunam, & virtutibus sepeus expugnari non potest. 7. Nihil per ostentationem fingit, vera ut sunt diligit &c. Philo ait: sicut gubernator in navi, magistratus in civitate, Imperator in exercitu, & anima in corpore: sic sapiens primus est in humano genere. C. Ex. 25. v. 18. fol. 516. col. 2. seq.

Sapientiam æstimant homines prudentissimi ac potentissimi: Alexander videns Diogenem in dolio exclamavit: *Ovas sapientia plenum.* Alphonsus Aragonum Rex pluris faciebat sapientiam, quam opes & regnum; quia illam aiebat esse Dei filiam, &c. C. Ex. 25. v. 18. fol. 517. col. 1.

Præcipue illa acquiritur per observantiam mandatorum: *Concupiscis sapientiam,* ait S. Bernardus, *serva mandata.* & Dominus dabit illam tibi. C. Ex. 28. v. 12. fol. 542.

### 231. Ardua suffert spe beatitudinis.

Sapiens in labore virtutis, quantumvis arduo gaudet, quia certa fide, & spe credit, ex modico labore consequi æternam quietem in gloria; Modicus enim labor parit æternam felicitatem. B. Galganus a voluptuosa vita, ad austeram, sanctamque a S. Michaeli Archangelo evocatus, in eremum secessit, ac caelestem in orationibus ac jejuniis vitam egit: post annum a caelesti voce ad æternam requiem invitatus fuit hac voce: *Satis laborasti. Metes nunc quæ seminasti.* &c. S. Stephanus septem mensibus Diaconi officium exercens, cum Judæis disputans, & fidem Christi prædicans, quantum gloriam lapidatione adeptus est! S. Laurentius quinquæ diebus, qui a morte S. Sixti ad eius cruciatum interfuerunt, modicis, sed heroicis laboribus cum Valeriano impudenter, quam illustres sibi in celo triumphos creavit! quare S. Franciscus hac brevi, sed nervosa concione suos ad omnis virtutis agones excitavit: *Modica voluptas, parva immensa Modicus labor, gloria æterna! Multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio!* Et S. Ephrem: *Post tentationem requies, post asperitatem vite gaudium.* C. Eccl. 51. v. 35.

Sapiens coronatur quintuplici corona 1. tanquam doctori sapientia laurea doctoralis. 2. Quæstimo in omni virtute laurea virtutis. 3. Quasi victori passionum corona triumphalis. 4. Quasi sponso sapientia corona nuptialis. 5. Denique tanquam regi sapientia corona Regni. C. Prov. 4. v. 9.

### 232. Quo-

### 232. Quomodo obtinenda in praxi.

Jacobus Ap. ait: *Si quis vestrum indiget sapientia,* postulat a Deo omnes enim homines, quantumvis docti & prudentes, indigent sapientia, vel quoad inchoationem, vel quoad incrementum, & perfectionem. Est autem jam sapientia non aliud, quam cognitio Dei, & ultimi finis, ac mediolorum ad eum assequendum, eorumque desiderium, amor, & affectus; unde dicitur: *Plenitudo sapientia est timere Deum.* Hanc sapientiam sapiens affectetur, in libris, qui ab ea sapientiales vocantur, puta in Proverbis, Sapientia, Ecclesiaste, & Ecclesiastico, quamque sapiens nunc vocat sapientiam, nunc scientiam, nunc intellectum, nunc disciplinam, nunc prudentiam, nunc legem. Hinc etiam vocatur *Scientia Sanctorum! Prudentia Juslorum!* quæ est timere, colere, & amare Deum, bonaque caelestia & æterna antequæ terrenis & caducis. C. Jac. 1. v. 5.

Modum & praxin acquirendi sapientiam describit S. Thomas ad amicum: *Quia quæsitum a me, qualiter te studere oporteat in thesauro scientia acquirenda, hoc tibi a me traditur consilium, ut per rivulos non statim in mare eligas introire; quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire! Hæc est ergo monitio mea. Tardiloquum te esse jubeo, conscientia puritatem amplectere, orationi vacare non desinas, cellam frequenter diligas. Omnibus te amabilem exhibe, nihil quære de factis aliorum, nemini te multum familiarium offende. Verbis & factis sæcularium non te intronitas! Sanctorum & bonorum imitare vestigia: quidquid boni dicunt, memoris commenda, ea quæ agis & audis, fac ut intelligas. Altiora te ne quæsieris! Hæc si sectatus fueris, ad id contingere poteris, quod affectasti &c. C. Jac. 1. v. 5.*

Licet sapientia complectatur omnem virtutem, tamen præ cæteris sita est in patientia, verus ergo patiens, verus est sapiens juxta illud: *Doctrina Viri per patientiam nascitur.* C. Jac. 1. v. 5.

Pondus supra se solit, qui honestiori se committat: alii legunt, *distiori,* aut *fortiori,* aut *potentiori.* Multi ambiunt aulas & auras magnatum, ut eorum familiaritate honorati sint, & dignitates ac luca capere. Verum Stracides id dissuadet, afferens pondus, & gravamen multiplex; amicitia enim, ut sit facilis, & iocun-

da, debet esse inter pares. Præclare ait Seneca: *Si in parentem felicitas, aut potentis perveneris, aut veritas, aut amicitia perdenda est; ubi enim fuit impares, superior vult dominari: inferiori multa imperat, quæ inferior esse metu reculare non audeat; quare potius servus est, quam amicus.* Sic Eucelio ille diviti posulantem filiam suam renens fortune in conjugem, respondit, nolle se, ut filia apud ipsum velut bovem, quam agat. Sisyphus ad Jovis & Deorum amicitiam ambiens, ab irritis Diis damnatus est ad saxum jugiter volvendum &c. C. Eccl. 13. v. 2.

### 233. Vera quomodo distinguatur a falsa.

Sapientia sancta est, de falsa autem dicitur: Non est ista sapientia desultum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. *Terrena* quidem ob avaritiam, quæ quærit opes terrena. *Animalis,* ob galam & luxuriam, quæ concupiscit voluptates sensibiles ventris & veneris. *Diabolica* ob superbiam, quæ ambit per dolos & astus excellere, &c. C. Ep. Jac. c. 3. v. 15.

Porro novem sunt antitheses inter veram, & falsam sapientiam. 1. Vera est pudica, falsa animalis & impudica. 2. Illa pacifica, hæc contentiosa. 3. Vera modesta, falsa petulans & superba. 4. Vera suavis, falsa imperfuadibilis. 5. Illa bonis contentens, ista bonis invidens. 6. Illa plena misericordia, ista immisericors. 7. Vera plena operibus bonis, falsa plena sceleribus. 8. Vera neminem judicat, falsa iudicium præcipiat. 9. Vera est sincera, falsa simulata & hypocritica &c. Pudicitia comes est sapientia tam in puritate morum, quam doctrinae, quæ sola soli fidei Christianæ propria est. Ab ea tamen longe aberrant Gentiles, Machometani, & hæretici, qui non tantum falsa & blasphemica docent de Deo, sed etiam luxuriam promissive admittunt, foventque; omnes enim hæresarchæ habuerunt suas Amasias, ut docet S. Hieron. Quam impia & impura docent Lutherus, & Calvinus, liquet; quia docent Deum esse auctorem peccati: Christum in cruce sensisse poenas inferni, & idæo deserpisse: Religiosos & Sacerdotes non ligari voto castitatis: si uxor nollet, vocandam esse ancillam: solam fidem salvare, & quæ sunt alia absurda. C. Ep. Jac. c. 3. v. 15.

Sapientia vera individuum habet forem pudicitiam & castitatem; hinc ambæ in somno se obulerunt S. Grego-

rio Nazanzeno: S. Joannes Apollolus, quia Virgo meruit et pectore Divino haurire arcana caelestia. S. Thomas Aquinas ab Angelis cingulo castitatis fuit accinctus. S. Laurentio Justiniano Sapiencia Divina se in sponsam offert. Similiter S. Henrico Susoni, qui propterea dictus fuit *Minister aeterna sapientiae*. Christus ipse Incarnata Dei sapientia despondit se S. Catharinae Virgini castissima, quae licet litterarum rudis prophetiae spiritum accipit &c. C. in Ep. Jac. c. 3. v. 15. &c.

Ecce tanta stupendum est, quas absurditates docuerint gentiles Philosophi, & ipse Plato alias laudatissimus! docet enim: Mundum non esse creatum ex nihilo, sed ex atomis. Mundum esse animal intelligens, aeternum. Deum esse animam mundi, quam & ponit in medio mundi parte abiectionissima. Stellas censet esse animalia & Deos. Terram esse circa polum suspensam: Dæmones esse generatos ex terra & caelo. Iniquos primo transmigrari in mulieres, dein in aves & bestias &c. C. in Ep. Jac. c. 1. v. 15.

Sibi soli sapere, & aliis se sapienterem reputare stulticia est; quia Deus talibus, utpote superbis, & praesidentibus negat suam gratiam &c. C. Prov. 26. v. 12.

### 234. Maxima bona secum fert.

Sapientia comparatur cedro, quia inter virtutes sicut cedrus inter arbores eminet. Nam 1. Cedrus in Libano seu monte eminenti *altitudine*: ita sapientia proxima caelo est, & ad Deum pertingit. 2. *Resistunt*: ita sapientia nihil dat favori & respectui humano, sed rectissime ad aeternam veritatem tendit. 3. *Soliditate*: ita sapientia solidissimis & aeternis rationibus innititur. 4. *Incorruptio*: cedrus enim cariem & tineam non sentit, imo etiam aliae res oleo cedrino perunt contra cariem, & tineas praeservantur. 5. *Duratio*, unde per cedrum aeterna indignantur, & cedro dignum dicitur, quod aeternitatem meretur: ita sapientia suos discipulos donat gloria & regno aeterno. 6. *Fructu*, qui initio amarus videtur, demum autem mirum in modum dulcescit: ita fructus sapientiae initio asper, demum dulcissimus evadit. 7. *Odore*, odorata enim est cedrus, & suo odore lepentes fugat: ita sapientia Christi bonus odor est, & contra infernalem colubrum valet. 8. *Medicina*, cedrus enim robur habet contra varios morbos salutarem: ita sapientia omnibus animi aegritudinibus mederi potest. C. Eccl. 24. v. 17.

Est soror castitatis, & mentem munit contra tentationes libidinis. C. Prov. 7. v. 4.

Comparatur ligno vitæ 1. quia vitam non solum naturalem, sed etiam supernaturalem gratia procurat, & prolongat. 2. Sicut lignum vitæ senectutem labatentem; ita sapientia vires animae, & gratia restaurat. 3. Sicut fructus ligni vitæ est insar nectaris & Ambrosia dulcis; ita sapientia inebriat ab ubertate domus tua, & torrente voluptatis, &c. C. Prov. 3. v. 18.

Et quod praestat ceteris, sapientia secum trahit fortitudinem: *Vir sapiens fortis est*; quia fortitudo animi, & virtutis, consistit in sapientis consilio, directione, & industria, quae per vires pravas magna & miranda efficit, ut patet in bellis, aliisque casibus &c. C. Prov. 24. v. 5. & seq.

### Scientia.

#### 235. Est periculosa nisi caute utamur.

REX Salomon petit sapientiam a Deo, non quam longe melius petisset a Deo, ne quam peccaret, ait S. Ambrosius. S. punct. 163. fol. 321.

Ille Angelus Cherubim dictus, id est plenitudo scientiae perdidit sapientiam suam: Bernardus ait; quod sibi sapiens fuit, quod non dedit gloriam Deo, non retulit gratiam pro gratia, quod non fecundum veritatem ambulavit in ea, sed ad suam eam detorsit voluntatem. S. punct. 120. fol. 373. Sic hodieum fit, ait S. Ildorus; Perique accepta scientia litterarum, non ad Dei gloriam, sed ad suam laudem utuntur, & ibi peccant, ubi peccata emendare debuerunt.

Scientia est curus triumphalis, est turris, est navis ad promovendam, & defendendam Dei gloriam: Verum timor Domini semper debet tenere gubernaculum; alias mala maxima timenda sunt. Segn. Manna 9. Junii n. 3. & seq.

S. Benedictus abruptit Roma studia, & in eremum concessit, scienter nescius, & sapienter indoctus. E. Studium.

Aristoteles Philosophorum Princeps post mortem dicitur apparuisse Discipulo, dixisseque: *Ex omnibus, quorum notitiam scientiam habui, plus non recordor, quam quod aeternum puniat.*

Ut scientia proficiat, debet esse conjuncta cum zelo, & zelus cum scientia; nam 1. ait S. Ambrosius. *Angeli quoque suo zelo nihil sunt, amittunt substantiae suae prerogativam, nisi eam zeli ardore sustinent: et nonnullis interjectis: Zelus utilis praecipuus*

in Sacerdote, ne negligens & remissus sit. Verum 2. Zelo etiam conjuncta debet esse scientia, duplici ratione: primo, ut per scientiam intelligatur discretio & prudentia. Deinde ut prudenter discernas, quid, quibus, ubi, quando docere debeas, non enim omnibus omnia quadrant. Aliquibus nocet, quod aliis prodest.

#### 236. Querenda est unice propter Deum.

S. Bernardus discernit fines, quibus homo quod scientiam; aliqui student, ut scient, & turpis curiositas est; alii, ut scientiam vendant, & turpis quaestus est; alii, ut adificent & caritas est; alii, ut adificentur, & prudentia est. O quam miseri, qui multum laborant, & tamen tangunt ab illo Davidico: *Nihil invenerunt in manibus suis*. B. Sermon. 25. n. 15. seq.

Beati qui scrutantur testimonia ejus, ubi Card. Hugo: Plures sunt, qui scrutantur ut scient, haec est curiositas: *In pluribus operibus ejus non sit curiosus*. Ut laudentur, haec est vanitas. *Amant vocari ab hominibus Rabbi*. Ut laudentur, haec est cupiditas: *Noli vendere sapientiam*. Ut perventant, ut haeretici: *Subintroverunt falsi fratres*. Ut adificentur, haec est prudens humilitas. *Scrutamini Scripturas*. Ut adificent, haec est caritas, &c. S. in praefat. fol. 14.

Corona sapientiae est timor Domini; ex quo patet sapientiam & scientiam ordinandam esse ad timorem Domini: & ideo si idcirco studes, ut te idoneum reddas ad Dei servitium, recte facis: quia medium ordinas ad finem: at si servitium Dei negligis, ut studeas, male agis; quia finem ordinas ad medium, &c. Segn. Manna 9. Junii n. 2.

Quid prodest scientia omnium creaturarum, si ignoras Creatorem? Nihil prodest! Hinc S. Aug. ait: *Infelix homo, qui scit illa omnia, et vero nescit. Beatus vero, qui se scit, etiam illa nesciat. Qui autem te, & illa novit, non propter illa, sed propter te solum beatus est.*

#### 237. Digna est honore, & premio.

Plinius narrat, Paulum Aemilium Minervae simulacrum in templo Fortunae crexisse. Ita est, Minervam, Deam litterarum oportet fortunam esse conjunctam &c. A. I. l. 4. n. 20.

Georgius Fuscillus Jurisconsultus a Sigismundo Imperatore ad equestris Ord-

inis dignitatem erectus est. Postea in Concilio Basileensi diu deliberans quem locum occupare praesaret, Nobilium, aut Doctorum, denique primum elegit: quod Imperator conspiciat jubet: O stulte, mille equites uno die creare, at non unum Doctorem mille annis facere possum. Epidoripidon. fol. 80.

Robertus & Alphonus Reges Neapolis cuidam jurato affirmarunt, malle se corona, quam eruditione, & libris carere. Cum posteriore praesente nonnemo assereret, Eruditionem Regibus parum convenire Alphonus reposuit: Hac bovis, non hominis vox est. Epidorip. fol. 80. Vide Tit. *Nobilitas*.

Artium inventiones adeo sunt honorificae, ut de inventione acus Magneticae tres nationes certent, Belgae, Angli, & Itali. Probabilissimum est Italum Amalphitanum, Joannem Goim fuisse inventorem. Vv. art. disc. font. 9. Ex 1.

Guilielmus Beacelius piscator in Belgio inventi condituram halem, quo invento fe ita commendavit posteritati, ut Carolus V. ipsemet aderit illius sepulcrum, & grates illi retulerit pro tanto beneficio. Vv. art. disc. font. 9. Ex 2.

Nobilitas, ab arte nonnemo, sine scientia, anulus est sine gemma, lucerna est sine lumine, gladius est sine acie, exercitus est sine Duce. Pallas si sagata solum, non item togata sit, furia potius, quam Dea est.

Homo scientificus toti mundo gratus, ubique estimatus est; ideo ait S. Augustinus: *Ubiunque accesserit sapiens, ubique civis Ep. 10. ad Constantianum*. Quia imo scientia eam habet amicum vim, ut favores conversantium sibi conciliet; nemo est in colloquio conversantium, qui hominem doctum scientificum disceurentem non amet & estimet. Hinc illud essatum Cassiani: Scientia litterarum verborum subministrat gratiam, facitque de trato benevolum, de suspeso plicatum, de auctore mitem, & de adversante propitium.

Scientia felicem in seipso reddit hominem: Thales rogatus, qui esset felix? reposuit, qui corpore sanus esset, anima vero eruditus. Socrates aiebat, pulcherrimum esse hominem doctrina ornatum. Et Demades: Doctos ab indoctis tantum differre, quantum Dei ab hominibus. Aristoteles aiebat: Disserere illos, sicut differunt vivi a mortuis, &c. Carolus IV. audiens disputationem eruditorum, cavare oblitus est. Dionysius regno pulsus.

incredotatque, quid illi Plato & Philosophia studium profuisset, respondit: *Ut tantam fortunæ mutationem equo animo ferrem.* Zeugmarus Monachus, quavis cæcus esset, tamen circuibat docens, corripiens & confirmans unumquemque. Idem fecit Asclepius Afer, Episcopus, &c. C. Exod. 23. v. 31.

238. *Moderate, & discrete debet usurpari.*

S. Augustinus ait: *Habent in epulis suis & animi quandam luxuriam, si ultra modum in eas, & voraciter irruant, ita enim male quodammodo digerunt.* Discrete appetenda est scientia, & hoc est, quod vocat Paulus, *sapere ad sobrietatem.* Scriba debet quo ordine, quo studio, quo fine? non ad inanem gloriam, aut curiositatem, sed ad edificationem appetatur. Eccl. 5. 2.

Cum teste Apostolo scientia instat homini bene Christiano, & virtuti debito solatio esse debet, quod scientia carreat: si enim latatur, quod materia tumoris aut hydropis sibi subtrahatur, cur letari non debeat, cum subtraham sibi videat materiam superbiæ? O quam felicior longe fuisset Lucifer, si altissima scientia caruisset! O quam feliciores Lutherus, Calvinus & alii, qui scientia sua contra Deum & Ecclesiam abusi sunt.

Quidquid homo a Deo recipit, in Deum refundere debet, qui quinque talenta accepit, quinque alia lucrari, & rationem Deo reddere debet. Cur ergo homo rudis trahitur, quod minora debita apud Deum contraxerit, quam homo doctus?

Quamquam scientia & sapientia præmio ac honore digna sit, non tamen ad occupandos honores & præmia unice dirigi debet, sed semper conjunctam sibi habeat humilitatem: Qui thesauros effodiunt, terram rejiciunt, & scrobem sibi faciunt: ita qui thesauros scientia appetit, terrenos affectus rejiciat, & se humiliet, ait S. Hieron. Salomon non aurum, non terrenam gloriam a Deo petiit, sed scientiam regendi, & judicandi populum Dei.

Ne putes te copio, quod doctus sis, etiam bonum Christianum esse! multi scientifici etiam, fuerunt foelera: quia scientia virtus est intellectus, non voluntatis. Hunc in sensum ait S. Bernardus: *Sol non omnes, quibus lucet, etiam calefacit: sic scientia multos, quos docet quid faciat: sic sciendum, non continuo etiam accendit ad faciendum. Notitia divinitem non facit, sed possessio.*

239. *Conducit ad Virtutem & agnitionem Dei.*

Unicum dæmonis studium est, ut ignorantiam propaget, & sicut olim Philistæi operam dederunt, ut non esset faber ferrarius in Israel, qui arma cudere; ita dæmon invigilat ut sacram doctrinam impediret. Idem semper curant alectæ dæmonis. Nabuchodonosor in expugnata Solyma, Antiochus in tota Judæa, Dioctletianus per totum imperium Sacras Scripturas comburi jubent. Martinus Lutherus Sacros Canones igni tradit, Machometes omnem literaturam prohibet. A. 1. l. 1. n. 1.

Periculosa semper est scientia sine humilitate. Et quidni humilis sit homo scientificus, cum sciat omnia, quæ scit, se non alio fonte, quam ex Deo hausisse? hic talentorum capacitate, hic memoria, intellectu, voluntatem addiscendi, hic tempus, valetudinem, occasionem, instructores, aliaque omnia dedit. Hinc quisquis anhelat ad scientiam, ante omnia illud S. Aug. principium addiscat: *Hæc tota scientia magna hominis est, quia ipse nihil est per se, & quoniam in se, quidquid est, ex Deo, & propter Deum est.*

Prudentia debet esse præambula, & moderatrix scientiæ, ita ut illam doceat tam fugere candelabrum, quam modium; errat, qui scientiam suam exaltari cupit ad admirationem aliorum, errat itidem, qui indifcreta humilitate illam abscondit. Ideo ait S. Aug. *Qui se dicit scire, quod nescit, temerarius est: qui se negat scire, quod scit, rogatus est.* Scientia, ait S. Gregorius, quos afficit, non extollit, nec superbiens, sed lamentantes facit; quia quanto robustius sapit, tanto se magis infernum in illa versus recognoscit.

Præcedit scientia virtutis cultum, quia nemo potest appetere quod ignorat, & malum timere, quod non agnoscit, ait S. Chrysostomus.

240. *Ex natura sua est delectabilis.*

S. Thomas ait: *In contemplatione veritatis maximam delectationem consistere.* Et: *Multo majores esse delectationes intelligibiles, quam sensibiles.* Et Aristoteles ait, *maximam delectationem esse, quæ est secundum operationem sapientiæ.* A. 1. lect. 1. n. 4.

Salvius Julianus dicere solebat: *Esti*

alteram pedem jam in sepulcro habentem, vellem adhuc addiscere. Conviv. apparat. fol. 174.

Augustinus Stenius, villi progenie, & deformi corpore natus, quamquam extreme pauperat, & oris fecunditate ab omni plebe despicere, animum tamen ad scientias, quam potuit, impendit. Multis dein precibus ad Canonicorum Regularium familiam receptus, cum litteris operam dare vellet, a Collegis adeo rifi habitus est, ut ne lumen quidem illi ad cubiculum admitteretur. Hac iniquitate ille afflictus nequam sciendi ardorem remisit: verum noctu fragula volutus in templum descendens, septem integros annos ad lampadem, quæ ad altare pendebat, pervigilans, nullam facultatem, linguam & scientiam reliquam fecit, quam animo non conciperet, ut illis & tenebris magna nominis claritate prodiret. Lohner. Bibl. T. 1. tit. 13. n. 54.

*Siquis familiariter scientiam amare didicerit, jucundam valde reddat vitam, & maximam in tribulatione præstat consolationem.* ait Hugo.

Aristoteles tantus fuit scientiarum, & librorum amator, ut libros paucos Speusippi Philosophi tribus talentis arteis commerit, quæ nostro calculo ad tria aureorum millia excreverunt. VV. Art. Dific. font. 19. Ex. 2.

### Libri Sacri.

241. *Profunt ad salutem legentium.*

Salomon docet, etiam in prudentia, & atque doctrinæ labore, dolore, & afflictionem inveniri. Quid? nonne scientiæ ex natura sua sunt delectabiles? quomodo ergo dolorem in se continent? Respondet Salomus Episcopus. Viemensis: *Quia quanto amplius celestia & æterna homo cognoscit, tanto magis dolendo, & sentendo laborat, ut errorum laqueos evadere possit.* Eccl. A. 1. lect. 1. n. 4.

Utilitatem librorum sacrorum bene agnoscit infernalis inimicus; hinc omnem operam confert, ut illi in manus peccatorum non deveniant: Holoserius Bethaniam everterus, aquæductum incidit, iussit, quo aqua in urbem obessam influeret. Philistæi populum electum vincere volentes omnibus armorum fabricis severe interdixerunt, ne gladium aut lanceam fabricari præsumeret. Sic facit infernalis inimicus, libros & lectionem sacram omni fructu impedire conatur, ideo doctrinæ

fluente & virtutum arma aufert, ut sic sevitiam suam in exitum fervorem Dei impleat. Lohner. Tom. 2. Tit. Lectio Des. §. 10. n. 12.

Libri sacri sæpe sunt efficaciores ad commovendos, ac convertendos animos, quam Verbum Dei & cathedra prolatum 1. quia sacri Predicatores sæpe conceptus suos nimis sublimiter crispant supra captum auditorum. 2. Quia non audent aperte, & sine furore carere vitia. 3. Quia non confirmant exemplo, quod docent verbo. Hæc omnia incommoda non habentur in lectione librorum sacrorum; hinc ait S. Bernardus: *Per lectionem vitia destruantur, & virtutes in anima nutriuntur.* Lohner. T. 2. Tit. Lectio Six. 7. n. 8.

242. *Causant mirabiles conversiones.*

Guerricus Parisiensis cum Veterum Patrum vitas legi, & hoc semper epiphonemate concludi audiret: *Martius est;* mundo valelicit. A. 1. lect. 1. n. 5.

S. Augustinus fatetur, quod ex lectione sacra superbiæ deposuerit, hæresin vicerit. Præfatus Regina Candacis, S. Antonius, Magnus Columbinus, Ignatius ex lectione forum librorum convertuntur. Andreas Avellinus cum clientis sui causam defendens repente mendaciam dixisset, & domi sacras paginas aperiens incidisset in illud, *Os autem quod mentitur, occidit animam,* valelicit sæculo, & Theatinorum Religionem ingreditur, &c. A. 1. lect. 1. n. 5.

Paulus Burgensis Episcopus ex lectione Sancti Thomæ Aquinatis Judaismo abjurar. A. 1. lect. 1. n. 5.

Quod S. Hieron. de Sacra Scriptura nunciat, id omne in genere verum est de libris sacris: Habet adolescens quid corrigat, juvenis quid sequatur, senior quid præcet: hinc distat femina pudicitiam, populi pietatem, Vidua iudicem, pauperes protectionem. Hæc tristem consolationem, letum temperant, iratum mitigant, omnibus apta medicamenta tribuunt.

Iustus Martyr de seipso testatur, quod dum adhuc gentilis Philosophus existeret, antiquorum doctrinis deceptus in Sacra Biblia incidisset, & ex iis, omnes invidiositates tenebras sibi fugari, acque lumen & notitiam veri Dei in animo suo accendi expertus fuisset.

S. Eugenia de seipsa asserit, quod cum antea Philosophiæ operam dederat, tandem in Epist. S. Pauli incidens, ejusque dogmata in illis legens, intellectu suo ita illi

Chronica  
Ep. Prae.  
dic. 1. p.  
62. c. 60.

S. Hier. in  
Psalms.

S. Hier. in  
Psalms.

illis inhaerit, ut cognita idolorum falsitate aquis se abluerit Baptismalibus, tandemque pro fidei confessione suum in tormentis sanguinem profuderit.

243. Conveniunt omni statui.

Homines laici se excusant a lectione sacra propter negotiorum multitudinem: sed hoc ipso plus aliis indigent, sicut plus opus habet magnete, & mappa qui navigat, quam qui in litore securus stat. A. 1. lect. 1. n. 20. Magni principes inter summa regnorum negotia erant solertissimi in lectione librorum facrorum, uti Theodosius Junior, Carol. Magnus, Alphons. Arragonicus, alique. O quot homines defeculo fat temporis habent ad volendum

Stof. aut. c. 42.

Ovid. aliaque profana, &c. A. 1. lect. 1. n. 24. Magni Principes in regendis subditis plurimos errores vel per excessum, vel per defectum committunt, & nemo est, qui eos corrigere audeat. Omnes autem ex metu reverentiam silent. Quid faciendum? Offendit sunt illis libri, in quibus errores suos dedocentur. Demetrius Phalareus Regem Ptolomaeum hortabatur, ut libros de regno scriptos emeret, legeretque, quia libri, aerebat, regum odianon timent, velut amici.

Verum quidem est, vocem vivam praedicatorum efficaciorum ad movendum, quam libros; quia sacer praedicator vox Dei est. Verum cum tepidi, aut peccatores Christiani sermonibus sacris raro aut nunquam interint, quid aliud remedium eorum saluti superest, quam lectio librorum, ex quibus sapere, & se & alios dirigere discant.

In hac vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus, quis autem est viator, qui non identidem de scopis seu termino, ad quem tendit, cogitat? Parem in modum & nos ad Deum tanquam finem nostrum, ad quem creati sumus, animam extollere debemus. Quibus autem stimulis maxime excitantur ad desiderandam caelestem patriam? non aliis magis, quam lectione sacra, ibi exemplo Christi & Beatis. Virginis, fortitudine Sanctorum, patientia Martyrum, lacrymis poenitentium admonetur ad sequenda eorum vestigia. Lectio sacra in nobis desiderium Christi, patriaeque caelestis accendit.

Soteraz. d. 10. c. 1. in Reg. 2. c. 10.

Omni statui & conditioni hominum praeter ceteris libris suadendus Thomae Kempensis libellus de imitatione Christi. S. Ignacia Lojola quotidie unum aut plura capitula ex eo legit, idque ad pariter fa-

cerent, omnibus aliis cuiuscunque status & conditionis fuisse, &c. Lohner Tit. Lectio Spir. S. 9. n. 3.

Libri Prophani.

244. Anime struunt precipitium.

Totus populus Israel a Deo affligitur, quia furivus Achan contra preceptum regulam auream abstulit. Origenes loco Regulae aureae, legit linguam auream: Si Poetam legis modulante verbum, Et praefulgido carmine Deos, Deaque roxentem, ne delesteris eloquenti suavitate: lingua aurea est, si introduxeris in cor tuum ea, quae ab illis afferuntur, pollues omnem Ecclesiam Dei. O vos qui tempus in legendis libris teritis, qui de amore & armis agunt, respicite damnosam eloquentiam, lateat anguis in herba &c. Sceleratus Lutherus, antequam haeresin suam spargeret, fecit gallico Idiomate librum vulgari, cui titulus Amadis, hoc libro passim per aulas Principum sparso brevi mores sceleribus, adulteriis, astrologia judicaria, alisque vitiiis corrupti, & postmodum nullo labore in haeresin abduxit. A. 1. lect. 1. n. 3.

S. Theresia pervolvens libros profanos, statim amare vanitatem cepit. A. 1. lect. 1. nu. 23.

S. Casarius Arelatenfis legendo librum profanum obdormiscit; videtque in fomnio librum illum a dracone dentibus comminui. S. Hugo Cluniacensis somniabat, se sub capite serpentes nutrire; evigilans reperit sub capite Virgilium. Sanch. 5. par. c. 4. fol. 447.

245. Numerose in Bibliothecis asservantur.

Primus, qui Bibliothecam construxit, fuit Olymandus Rex Aegypti, qui eam librarum vocavit Animi medicinam officinam. Ptolomaeus Philadelphus quadringenta, aut ut alii volunt septingenta librorum milia congeffit, quae omnia bello sub Julio Caesare exusta sunt. Athenae Philistatus Bibliothecam publicam posuit, quae deis a Rege Xerxe in Persiam translata, sed iuxta Seleuci Nicanoris iterum Athenas restituta fuit. Constantinopolit centum viginti librorum milia asserbantur, una cum pelle draconis, in qua tota Homeri Illas, & Odissae scripta erat: sed demum omnia incendo perierunt. Pergami in Asia ducenta librorum milia inveniebantur. Romae sub Lucullo, & multo magis sub

Agnio Pollione publicae Bibliotheca aperiata sunt. Nec defuerunt privati cives, qui ingentem librorum thesaurum sibi compararunt: id fufe narant Scriptores & non sine aculeo, dicentes: Non in studium, sed in spectaculum, &c. D. 5. 5. Verissimus est ille sarcasmus: Libri ostenduntur, non leguntur. Pifauri in Bibliotheca Ducum Urbinatium liber est ex foliis membranis subtilibus confectus, & ingeniosissimis picturis exornatus, qui duodecim millibus coronatorum aestimatur. Ecce! saepe cortices librorum plus quam libri amantur!

Frolich in Plat.

Scaliger 1. 4. Ep. 434.

Celeberrima Bibliotheca fuit Heidelbergae, quam quidam ipsi Bibliotheca Vaticana praetulerunt, cui suam etiam opulentissimam legavit Udalicus Fuggerus Baro de Kirchberg: item aucta fuit ex Monasterio Lorch, item ex Creuzenach: thesaurus fuit inestimabilis, cujus manus scripta ad 80. milia coronatorum aestimata sunt. Sed belli injuria perita sunt omnia; ita ut chartae pretiosae equis loco straminis subiectae fuerint. VV. art. difcofont. 23. Ex. 4.

Homines docti libros numerose scriperunt: Galenus supra quadringentos, Servius Sulpitius centum octoginta. S. Augustinus triginta milia. Alphonsus Tostatus quindecim Tomos &c. &c. T. n. 325.

246. Obsceni sunt scandalum & ruina animarum.

Pro. Blesf. de Sacr. confesf.

Petrus Blesensis auctorem scandalose scripturionis alioquitur: Postquam innocentiam argumentosa libidinis astucia subvertisti, illud ad cumulum tuae perditionis accedit, quod cum princeps factus sis Sodomae & Gomorrhae, immunditiae tuae discipuli post te sedebunt in cathedra pestilentiae, serpetque pestis cancerofa in multos, ut veniat super te omnis sanguis eorum, quos corripisti.

Et iterum ibidem: Quis aestimare sufficit, quam execrabiliiter damnabilis sit arud Deum & homines Herodiana crudelitas, quae pueros occidit, & malitia Pharaonis, qui submergit parvulos Hebraeorum? Et illi quidem non animarum, sed corporum homicidae fuerunt. Quanto ergo detestabilius est eorum non dicam homicidium, sed paritidium, qui tot innocentes animas occiderunt: Pharaone & Herode damnabiliores sunt. Lohner tit. Lect. spir. S. 3. 25.

Nabuchodonosol. in belluam transformatus est, Diocletian. ad insaniam redactus

sibi ipsi vim intulit, Genesius VVandalorum Rex linguam sibi ipsi frustacim laceravit; quia sacra volumina flammis concremaverunt. Quae poena ergo manebit eos, qui non tantum libros sacros eliminant, sed obicenos diffemant?

Achan furto suo victoriosum cursum populi ad terram promissam festinantem stitit: furatus est regulam auream, & eam in tabernaculo posuit. Ubi Origenes ait: si in Philosopho. aut Rheotore sermone perversum quid invenias, memento regulam auream quidem esse, sed furto ablatam & damnabilem de Jericho: JESUS autem anathema iustitiae esse omne aurum, quod in Jericho fuerit inventum: si Poetam legeris, Deos, Deaque canentem, ne reponas in tabernaculo cordis tui, anathema est coram Deo, polluit Ecclesiam Dei. Lohner ibid. S. 10. n. 8.

Cur demones a Christo Domino expulsi, peterunt facultatem occupandi gregem porcorum? quia gaudent rebus suis, & obscentis. Libri autem lascivii fetorem suilem spirant; hinc Petrus Blesensis discipulum a lectione profana detortans, & ad sacram stimulas ait: Exi quod fecisti de porcorum, ut passaris in deliciis domus Dei. Lohner ibid. n. 9.

Cum quondam energumenum exorcizabatur, accessit juvenis studiosus, & demon ei cum magna benevolentia significatione occurrit, dicens: Benevenis, mi Dilecte, qui Missale meum in tuo sinu defers; alludendo ad poema Ariostii, quod semper secum habebat. Unde eruditus nomeno, librum impudicum demonis Evgangelium, & scriptores illius, demonis Evangelistas vocat. Lohner ibid. n. 10.

Artes.

247. Sunt variae, & habent varios Inventores.

Aegyptii Geometriam, Chaldaei dicunt Natalium observationem, Persae ugentum, Lydi tincturam lanarum, Lacedaemonesi galeam, Phoenices fundam, Sidonius mensuras & pondera, Noe navim, Deidalus malum navis, Ctesibus machinas hydraulicas, Boetus artem futeinam, Chiron artem herbariam, Cleanthes picturam, Aeneas Martium salinas, Hanno Carthaginensis leonum manifestationem, Simonides Ceus artem memoriae, Hircipus vivaria, M. Lelius aviaria, Attalus tapetes, Anacharisis folles, Olyris aratrum, Capaneus scalas, Cynirus tegulas, Anaximan-



ximander horologium, Maris Tethalus equitatum, Pifeus venabula, Sinon Græcus speculas, Pan fistulam, lactis coagulum Aristæus, dentium evulsionem Æsculapius, Theud numeros, & supputationem, Cadmus lapicidinas, Pilianus usum pincendi, Joann. Eickius Belgæ mixturam colorem cum oleo, Paulinus campanas.

Porro cuniculos subterraneos, atrox inventum, Joannes Georgius Senensis. Mognetam populi Lydiæ, pulverem pyrium & folepotorum usum Berchtoldus Niger Germanus invenit. VV. art. disc. Font. 9. Ex. 4.

Characteres antiquitate delicti possunt renovari & legibiles reddi, si gallæ conterantur, & unius diei spatio phialæ vino albo plenæ, beneque clausæ miscantur, & in loco calido asserventur, postea re tota in cibano per alembicum distillata, charta aqua inde extracta fricetur. VV. art. disc. font. 73. ex. 4.

Ferrum potest reddi fluidum beneficio sibi, hoc mediante funduntur globi tormentarii. VV. art. disc. font. 75. ex. 2.

Inventores artium adeo honorantur & æstimantur in mundo, ut de inventionæ ac magneticæ tres nationes certent, Belgæ, Angli, & Itali.

Cuilielmus Beuckelius piscator in Belgio invenit conditurum halecum, quo invento se ita commendavit posteritati, ut Carol. V. ipsemet adierit ejus sepulchrum, & grates illi reulicet pro tanto beneficio. VV. art. disc. font. 9. Ex. 2.

Totius mundi applausum sibi conciliavit Michael Angelus Bonarota, qui machinarum a se inventarum ope effecit, ut homines non omnino mille Vacicana in area Obeliscum statuerent, ad quem movendum, vel certo loco statuendum Ægyptii olim reges triginta millium operam adhibuerunt. Segneri Incred. non Excus. p. 1. c. 10. n. 6.

#### Astrologia.

248. Ex siderum phaenomenis cognoscit Deum.

Cum Athenienses eclipsem solis in morte Christi viderant, & quidem tantam, ut eam luna, esset integro solt opponeretur causare non posset, magnum fidei lumen acquisiverunt, & Dionysius Areopagita exclamavit: Aut Deus naturæ reipæ, aut mundi machina dissolvetur. Proinde illi ædificaverunt templum, cui inscripserunt: *Ignoro Deo*: ibique sacrificatum est, donec Apostolus Paulus Athenas

venit, Dionys. convertit, causas & tempus eclipsem detexit, & Deum ignotum notum fecit. S. punct. 29. fol. 703.

Quamvis sydera suo influxu quodammodo inclinent voluntatem, Deus tamen hunc ipsum influxum dirigit, temperat, etque dominatur: Providentia Divina est omnium causarum suprema: sicut arifex horologium, ita Deus astra regit, hinc ille versus: *Astra regunt homines, sed regit astra Deus*. O. Scrut. 2. Disq. 3. c. 2.

Potentia Dei agnoscitur ex creatione syderum, quæ tantæ sunt magnitudinis, ut a creato intellectu capi non possit. Sol inter sydera, quod inter satrapas Rex est, tantæ molis est, ut ejus diameter longitudine sua extendatur ad ducenta septuaginta tria millia milliaria: circumferentia ad milliaria octingentes septuaginta septies millena, adeoque globum terræ quem complectitur vicibus trigefies octies millenis. Quid erit autem, si cælum ipsum metri liceat, in quo corpus tam grande circa terras volvitur, & lucis thesauros in res omnes infra positas dispenfat. Quam potens est opifex tam immense molis! *Sapientia Dei* elucet ex eo, quod solem & sydera per plurima secula non tantum moveat, sed ordinatissimo cursu circumrotet, ita ut sol qualibet hora currendo emiciat septem milliones, octingenta octo millia milliaria.

Quis capiat? *Bonitas Dei* se manifestat ex saluberrimo syderum influxu, & pluvius, quæ ex syderibus in terras destillant. Si vel minimo temporis spatio orbis illi syderum quiescerent, quies illa exitum inevitabile rebus omnibus infra illos suis esset allatura, eum fere in modum, quo vita humani corporis mors deficit, si cor moveri desinat. Quis fatis admittret? Vere de illis enunciari potest, quod S. August. generatim de toto mundo pronuntiavit: *Pulcherrima specie* & *sublimis se esse*, & *non nisi a Deo, ineffabiliter, & invisibiliter magno, & ineffabiliter, & invisibiliter pulchro, fieri potuisse proclamat*. Segn. Incred. non excus. p. 1. c. 10.

249. Futura præcægit interdum cum veritate.

Ferrando Comiti Flandriæ Astrologus prædicit, quod cum plautus Gallorum Parisios intraturus sit: & ecce! a Philippo II. capitur, & Parisios mittitur. F. 3. l. 6. fol. 176. O. Scrut. 2. Disq. 3. c. 10.

Conjugi Imperatoris Chinesis prædicitur, urbem Quiniam potentissimam a vitio cen-

centoculo occupatum iri: Et ecce! Tartarorum bellidux hoc nomine compellabatur. F. 3. l. 6. fol. 185.

Domitianus Astrologum, qui sibi de suo exitu prædicere quædam est ausus, ita affatus est: Dic mihi, quis tandem totus futurus est exitus? Respondit Astrologus, & brevi a canibus laceratum iri! Domitian. ut fidem vaticinii eluderet, confestum illum concremari, & cineres illius terra tumulari iussit. Verum densus imber extrinxit rogam, cadaverque semivivum abusuarii rogitum, a supervenientibus canibus laceratum fuit. Id audiens Domitianus, jam vitæ diffusis omnibus fortunæ casibus obnoxius vixit. O. Scrut. 2. Disq. 3. c. 9.

Catharinæ Medicæ Reginz Galliz prædictum fuit, eam ad S. Germanum morituram, propterea S. Germani Ecclesiam, quantum poterat, declinabat. Mortua quidem est Blesis, sed Sacerdos, qui morientem adstrit, vocabatur Abbas Julianus a S. Germano. Ibid. n. 4.

Galeatio Mariz Vice-Comiti Mediolanensi prædixit Astrologus, ipsum ex vulnere periturum, quod proprius Vasallus ipsi esse indidurus: Astrologus vicissim interrogatus a Duce, quo mortis genere ipse effere moriturus? respondit, se in publico interemptum iri ex trabeligni cadente. Dux iratus mox illum decollari iussit. Cum paratur locus, & campanæ pulsantur, ipseque Astrologus concurrente populo ad locum supplicii ducitur, ecce! sub porta palatii cecidit turris quæ Astrologum cum aliis interfecit. Dux vero in Festo S. Stephani in Ecclesia a proprio Vasallo interfecit. lb. n. 12.

250. Falsa prædicit ex syderum conjunctione.

Astrologi multis ex horoscopo supremam felicitatem vaticinati sunt, quitamen in juventute mortui, aut eam felicitatem nunquam affectu sunt. Econtra multi obscuri syderibus nati ad summam dignitatem ascenderunt. VV. art. disc. font. 94. ex. 4.

Cæsar ab Astrologis monitus, ne ante hyemem in Africam navigaret, spreis auguriis eo navigis festinavit, & feliciter victor exiit.

Brantz Alexio promissa fuit ingens victoria, si cum Conrado Marchione Montis Serati, qui partes Iffaci Imperatoris tenuit, arma conferret. Verum fufus perit cum toto exercitu.

Constant. Imper. persuasus ab Astrologo

promissione certæ victoriæ, in Bulgarios movit, ac Cajanus Bulgaros. Princeps in eum irruens stragem magnam edidit, & præcipuos Duces, Imperatore vi fugæ e lapso, interfecit, atque pecuniam, equos, aulæ, & omnem apparatus regium diripuit. O. Scrut. 2. Disq. 3. c. 10. n. 5.

Joannes XXI. Pont. Max. ex stellarum situ vitam sibi longissimam in Pontificatu vaticinatus est, quarto vero post mensis Viterbius, corruente subito adificii restudine oppressus interiit.

Alexandro VI. Rom. Pont. Astrologi ad annum 1497. vel certo ad annum 2495. vel denique ad annum 1592. ex ejus horoscopo mortem prædixerunt: cum quælibet hos annos feliciter supervixisset, contrariam viam inanes longævam Pontifici vitam augurati sunt, sed eo anno Pontifex mortuus est.

Ridiculum est, quod refert de Chales: Dux Mantuanus de fati Mali fati: sub nomine Bastardi in Palatio nam consultit Astrologos Italia: plerique conditionem personæ attendentes, quem silium spiritum Principis existimabant, illi dignitates Ecclesiasticas omniabantur quæ prædictione fe omnibus deridendo expulerunt. O. Scrut. 2. Disq. 3. c. 11. n. 18.

251. Decipit, & decipitur in suis vaticiniis.

Vanissimum est ex unica figura, seu themate Genethliaco ita Nati vitam, astatque etiam liberos, vitæque accidentia divinare: repugnat talis Divinatio sacris litteris: *A signis cæli nolite metuerè, quæ terram Gentes timeant, quia leges populorum vana sunt*. Fuit hic error Priscillianistarum, doctentium, quod Deus animas, & corpora fatibus astris adstrinxerit. Damnavit etiam hunc errorem Conc. Toletanum I. in sessione fidei, & Sixtus V. in motu proprio, qui incipit: *Cæli & terre*. Verant Leges Civiles, de Malef. & Mathemat. Imo ipsi etiam Astrologi, inter quos Cardanus: *Astrologi, ut Divinatores, homines pessimi sunt, deceptores, ac malorum morum*. O. Scrut. 2. Disq. 3. c. 10. §. 2.

Argumentum efficax est illud Chalesii: si humana omnia, eorumque eventus ab astris penderent, tunc quicunque sub eodem Horoscopo nascerentur, eodem evitum nasci scerentur, idem vitam genus, eandem fortunam, & similia. Sed hoc est falsum; nam ex duobus gemellis unus moritur sepe, alter supervivit: sic

Jacob & Esau uno partu sunt geniti, & tamen eorum studia, indoles, & exitus vite diversa fuerunt. Celebre item exemplum affert S. Augustinus de Firmino suo amico, qui natus fuit eodem momento, quo filius ancilla: Firminus tamen vitam honoratam, familia sua dignam duxit, filius autem ancilla laboriosam, & multae ruinae obscuram egit. Unde recte concludit auctor praefatus: Ergo alie in subsidium advocande sunt cause: quod si semel admittatur, tota ruit Astrologia; tot enim concurrent, ut captum mentis humane superent. O. Ibid. n. 5.

## Architectonica.

## 252. Admiranda Templi, Turres &amp; Palatia.

**S**emiramis uxor Nini edificat Jovi Belo templum magnificentissimum, quod stadii unius erat altitudine. C. in Gen. c. 10. v. 8.

Templum Capitolii Romæ 200. pedes altum 800. in circumferentia habet, capit 80000. personas & se extendit ad octo jugera, erat olim pretiosissime ornatum. Templum pacis altitudine 300. pedes, in latitudine 200. continet. F. 1. l. 15. f. 234.

Templum edificatum ab Herode Ascalonita erat longum centum cubitis, ex albis marmoribus viginti-quinque cubitos longis: obductum erat intus & foris laminis aureis: porticus fulciebantur centum sexaginta duabus columnis: opus hoc octenni labore perficiebatur, & putant aliqui, id pretiosius fuisse primo templo Salomonis. D. 4. 36.

Ecclesia Cathedralis Hispani est amplissima totius Christianitatis. Ecclesia Cathedralis Cordubæ numerat 600. columnas marmoreas. Soli Tabernaculo, ubi Venerabile aservatur, quotannis trium millium coronatorum reditus destinati sunt. Possunt in hoc templo simul & semel 365. Sacerdotes sacrificare, quia habet tot altaria, quot annus dies.

Templum Cathedralis Salisburi in Anglia tot habet portas, quot annus mentes: tot fenestras quot annus dies, tot columnas, quot annus horas. VV. art. disc. font. 24. Ex. 3.

Apud Cavennam templum est, quod totum unico saxo regitur, ita ut nemo latius saxum in universa Europa confixerit. Ejus ambitus 200. pedes, crassities 10. continet. VV. art. disc. font. 24. Ex. 1.

Templum B. V. Ulmæ edificatum est spatio centum, & undecim annorum. In templo Dianæ Ephesi extruendo tota Asia 220. annos insumpit. Templum Meche in Arabia tam amplum est, ut ejus ambitus dimidium milliæ Germanicum obineat. Templum S. Dionysii Parisi habet redum argenteum. Valvæ templi D. Joann. Florentiæ sunt ex ære fusili, tam raro artificio factæ, ut vix in universa Europa habeant sui similes. VV. art. disc. font. 29. Ex. 12.

Turris Babylonica alta fuit milliario Germanico. C. Gen. c. 10. v. 8. Pyramid. Egypti numerantur inter mundi miracula: in una illarum edificata laborabant trecenta sexaginta hominum millia, & quidem per 20. annos. Quam admirandum tale opus fuerit, ex eo desumitur, quod solum in cepas, alium & rapas a laboratoribus comedi solitas expensa fuit mille octoginta talenta, talentum computando ad sexcentos scutatos. D. 4. 4.

Inter admiranda opera merito censerentur Obelisci ac columnæ, quas Sixt. V. Romanæ operose erexit, præsertim columna pyramidalis in area S. Petri coram Vaticano erecta, & S. Cruci dedicata. D. 5. 71.

Turris Ecclesiæ Cathedralis Hispani numerantur inter miracula Hispanica; potest in illius apicem eques commode equitando ascendere, in ea pendunt triginta tres ingentes campanæ.

Nero Imp. tam vastum palatium extruxit, ut tota Roma ejus domus videretur, non alia re damnosior, quam edificando: tanta ædium laxitas, ut porticus triplices millenarias haberet, cætera auro illita, diaphana gemmis, unionumque conchis essent. Similis Neroni Caligula fuit, nihil tam efficere cupiebat, quam quod effecisse negaretur: exciti sunt montes durissimi silicis, campi montibus æquati, complanata montium juga. Eadem infania laboravit Tarquin. &c. C. Jerem. 22. v. 13.

## 253. Admirandi pontes.

Puer pastoris mirandum pontem super Rhodanum Avenione edificat: urbis Præfectus primo risit simplicitatem pueri pontem designantis, & pro fundamento joci causa illi ingentem lapidem, quem triginta Viri movere non poterant, assignavit. Nihilominus hunc lapidem solus puer ad ripam portavit. F. 3. l. 6. in Vita Lud. VII. fol. 173.

Pons seu aqueductus Segoviz habet centum septuaginta septem fornices, seu porticus.

In Imperio Senensi pons *Loyang*, cujus longitudo 360. perticas, latitudo sequitur perticam continet, totus est structus ex secto nigricante lapide: Nullum habet arcum, sed pilas ex lapidibus supra trecentas, quæ maximi navigii figuram habent, utrinque in angulum acutum desinentem, ut minus aquæ allisionem sentiant.

In eodem Sinesi Imperio pons reperitur, a ditissimorum parentum filia extructus: hac primis nuptiarum diebus maritum amiserit, cumque denuo nubere apud Chineses nefas sit, mortuis etiam parentibus, cum omnis solatii expertus esset, pontem multis fornicibus distinctum extruxit, & consumptis opibus, cum pons absolutus esset, ex illo se in aquas præcipitavit.

Carolus Magnus prope Moguntiam impopulit Rheno pontem ligneum: longus erat 500. passus, in eoque extruendo tota Europa, teste Aventino, decem anni laboravit. Unus autem ante Caroli mortem anno tota hæc fabrica igne absumpta perierit trium horarum spatio, ita ut præter signa infra aquas nil remanserit.

Mirabilis est structura pontis in Gallia dictæ *Pont du Grad*, distans uno milliario ab urbe *Vlais* in provincia. Sunt autem pontes tres, unus structus super alterum, & quidem inter duos montes altissimos: primus & infimus ad radices montium longus est 130. passus, patet equitibus, & curribus. Supra hunc pontem in medietate alter pons est longus 220. passus. Tertius continet 35. fornices, supra quos canalus est, per quem aqua ab uno monte per alium in urbem Nemausum decurrit. VV. art. disc. font. 23. Ex. 6.

## Cognitio linguarum.

## 254. Quomodo orta, quem in finem?

**H**ebraicam linguam in orbe primam fuisse satis liquet ex ethymo, & significatione nominum Adam, Eva, Cain, Seth, Babel, Abraham &c. horum enim & aliorum nominum origo, & significatio non ex aliâ, nisi ex hebræa lingua perit potest. Aliæ lingue, uti Syriaca, sunt tantum dialectus ex Hebraica, veluti sunt tantum Italica, Hispanica, a latina oriuntur. C. Gen. c. 11. v. 1. & seq. Deliravit nonnemo, Belgicam linguam fuisse in orbe primam, sed lusum ingenii est. C. Gen. c. 11. v. 1.

In confusione illa turris Babylonica Deus non singulas linguas, sed linguarum Matrices insudisse censetur, ex quibus dein aliæ lingue natae sunt, uti ex Hebræa nata

est Syriaca, Chaldaica, Arabica. Ex Latina ortum trahunt Italica, Gallica, Hispanica. Ex Græca variæ Dialectus, uti Aeoica, Dorica, Ionica, Attica, Ex Illirica oriuntur Polonica, Bohemica, Hungarica. Ex Teutonica confinguntur Flandrica, Danica, Suecica, Anglica, Scotica. Lingua Germanica merito numeratur inter linguas matrices: quia necesse Japhet, a quo Germani descendunt, confusio linguarum apud turrim Babel non interfuerunt, ut pote qui jam ante regiones septentrionales occupaverat, &c. D. 7. 84.

Omnes nationes laborant pro conservacione suæ lingue; Claudius Imp. Virum et Lycia in civem Romanum assumpsit, sed postquam intellexit, eum linguam Romanæ ignarum esse, iterum exclusit, ne corruptio lingue in urbem invehere. Mithridates Ponti Rex duas & viginti linguas calluit, poterat singulis regni sui gentibus sine interprete loqui. Filii Principum in exteriorum linguas instruantur, ut si in exteris regiones nubant, sine difficultate illis absciant. Ad intelligentiam S. Scripturæ motita linguarum est utilissima; hinc ex iusto Clementis V. Pont. in Universitatibus lingua Hebræa, Græca, & aliæ doceri debent. D. 10. 3.

## 255. A solo Deo, non a demone insudandi potest.

Cognitio lingue Hebrææ aut alterius, quam dicitur demon aliquibus Anabaptistis, & rudibus indidisse, habitualis non erat, sed actualis per modum suggestionis, sicuti nos declamantibus carmina suggerimus: imo sæpe loquitur solus demon prout patet in emergenceis: res hæc clara est, quia si converterentur, aut liberentur, rursus ad suam ruditatem redeunt. C. Gen. c. 11. v. 7.

Sicut creatio, ita confusio linguarum est opus solius Dei: Deus autem apud turrim Babel insudit habitus linguarum, sed tantum matricum; dico matricum, quia ex his cætera dein prognatae sunt uti ex Hebraica Syriaca, Chaldaica, Arabica, ex Latina Italica, Valachica, Gallica, Hispanica &c. C. Gen. c. 11. v. 7.

Apostoli in die Pentecostali accipiunt donum linguarum, ita ut omnium linguas loquerentur, ad quos pervenerunt. S. Vincent. Petterius lingua Hispana prædicans a variis nationibus intelligitur. Similiter S. Anton. Paduanus, S. Bernardin. Senensis in Concilio Florentin. & S. Xaverius apud Indos a diversissimis gentibus

intelligentiur. Cum S. Paulus in Insula Malta predicabat, auditus est usque in Insulam Gozo duodecim milliariis distantem, illaque gentes conversæ sunt. D. 3. 85.

Sancit in celo creduntur Hebraicam linguam locuturi, quam Deus hunc in finem electis omnibus infundet. D. 10. 63.

S. Ephrem ibat Sanctum Basilium visurus, cum ergo a S. Basilio Divinitus cognitus & invitatus fuit, ante omnia doluit, quod græcam linguam non calleret, ut Basilio loqui posset: Orantur ambo, & ecce S. Ephrem terribiliter caput græce loqui. Sancti 5. part. c. 4. fol. 459.

#### Medicina.

256. Non valet contra mortem.

**R**ex David. cum decem plagas Egypti recenseret, specialiter memorat moros omnes fuisse a prima destructas. Et moros eorum in pruina. Cur singulariter ad animadversionem adjungit? Respondeo quia mori alias contra pruinas securæ sunt, ideo addit Psalmista, etiam has contra pruinas Dei punientis non fuisse defensas. O quot homines sunt, qui velut mori contra pruinas, ita illi contra morbos se propugnant, & tamen non est

*Lab. 7. consilium contra Dominum, ait Labbata, Mors pro omnes sollicitudines, & precautions contra substantiam morbum non valent. B. Serm. 25. n. 27. seq.*

Medicina ars est utilissima. Gonnella a Duce Ferrariensi quaesitus, quænam ars maxime vigeret? respondit: Medicorum! etiam non dante Duce, simulavit dentium dolorem, sic stans ante fores templi ultra trecenta remedia conquirit. T. n. 214. Sic aliis morbis fere nemo est, qui non remedium sciat. Et ad quid tot consilia? Nihil profunt.

Quamquam autem ita sit, tamen honorandus est Medicus, dicente Ecclesiastico 38. *Honora Medicum propter necessitatem*, vi hujus honoris debetur illi Reverentia, Obedientia, & sustentatio personæ condigna. Contra hunc honorem debent agunt, qui in morbis accersunt circumforaneos impostores, empiricos periculosos, & feminas supersticiosas, sed suo damno, qui vita & conscientie noxam incurunt. Sed quid prodest Medicus, cum non valet contra mortem? respondeo, prodest contra morbos, ad quod ex Dei ordinatione majorem habet virtutem, quam miseri hi agyritæ, & deceptores. C. Eccli. 38. v. 1.

*Da locum Medico; etenim illum Dominus 12m. creavit, ut non discedat a te; Deus enim vult sua beneficia homini largiri non per se solum, sed homine cooperante: ita, ut adhibeat media, a Deo & natura scripta, &c. C. Ibid. vers. 12.*

257. Contra varios morbos valet.

Dicitur, quod radix asparagorum dentium dolorem, allium clausa manu, seu pugno retentum cordis singultus, periclaria fluxum sanguinis domet. D. 7. 30.

Allium prodest contra venena, contra vermes, contra ructus stomachi, contra tussim provenientes ex frigore, facile resoluitur, & facile pertransit. D. 11. 66. Lapis Bufonis contra pestilentes & venenosos tumores præstantissimum est remedium. VV. Art. Disc. Font. 24. ex. 14.

In Lypothymia tum ex resolutione spirituum, tum ex eorum oppressionem, si labia fricentur sale, præsentissimum est remedium. VV. art. disc. Font. 48. ex. 2.

Margaritæ fuscant corporis humiditates, roborant cor, recreant spiritus, valent contra syncopeas, melancholicos affectus, morbos pestiferos, capitis vertiginem, & sanguinis fluxum. VV. Art. disc. Font. 48. ex. 11.

Rosæ silvestris radix, moribus rabidorum canum medetur. In Lactania miles a rabido cane morfus, rosæ radicem in lacte bibens servatus est, & deinceps sanatus sunt omnes, qui eo remedio usi fuerunt. VV. Art. disc. Font. 58. ex. 3.

Tempore contagiosæ luis expedit excuscati busonis exuvias et collo gerere; quia hæc venenum omne in se attrahunt.

Denique panacea optima contra quoscunque morbos, aliasque afflictiones, est pia vita Christiana, & ardens confidentia in Deum Creatorem & Conservatorem nostrum, in cujus manu est vita & mors omnium hominum. Sic S. Gorgonia morbum quo laborabat, cum Medicis admittere nollet, Eucharistia sumptione miraculose sanavit &c. C. Eccli. 38. v. 11.

358. Quibus remedii vitam, & sanitatem prolongat.

Dicitur, quod mel, oleum, & crocus, butirus & similia mire ad conservacionem vitæ conducant. Joannes de temporibus, qui vitam ad trecentissimum annum produxit, quaesitus, qua ratione se conservasset? respondit: *Extra oleo, in tuis melle*. Sic etiam crocus habet oleo-

sita

fixatæ & calorem cordi humano valde amicum. Moderatione tamen opus est; quia excessus grandia causare potest nocumenta. VV. Art. disc. Font. 15. Ex. 8.

Opobalsamum mira virtute est præditum contra omnes fere morbos, & præsertim contra vulnera. VV. Art. disc. Font. 41. Ex. 7.

Accetum ex squilla confectum miræ est virtutis ad vitam conservandam: si quis quotidie parum biberit, ejus faucium & oris partes nunquam male valebunt, facile spiritum trahet, oculi acutissime cernent, cibum belle conficiet, & nihil malignitatis in stomacho remanebit. VV. Art. disc. Font. 41. Ex. 8.

De Rhabarbaro, quod ex sola China provenit, mira narratur, & sequentes versus habentur: *Calfacit & siccit, stringit Rhabarbarum & Alvum solvit, & est pueris, gravidis benedicta medela, visceraque obstruata hoc aperit, bilem & pituitam purgat, conducit stomacho, confortat & hepar, sanguis & ex illo sic clarus, sputa cruenta sistit, dejectoque juvat, ruptique medetur & disenteris confert.* VV. Art. disc. Font. 41. Ex. 14.

Optimum autem conservandæ valetudinis remedium est prudens Dieta, seu in cibo & potu exacta frugalitas, quæ docet moderari etiam somnum & vigilias, repletionem & exinanitionem: attendendum naturale desiderium, nec extendendum ultra satietatem, nec adhibendum aliter quam expedit. Intemperantia & ebrietas sunt sica, quæ morbos & præsertim mortales causant, juxta illud: *Plures occidit gula, quam gladius!* Quibus accedere etiam debet moderamen passionum animi, præsertim iræ, concupiscentiæ & similibus, quæ si exuberant inardescere permittuntur, lethales morbos, mortales ante tempus post se trahunt, prout testatur experientia, &c.

#### Musica.

259. Quanta virtutis & efficacia sit.

**A**mphion Thebanus, Arion Metimæus, Orpheus Thracicus silvas, lapides, & feræ moventur. David cythara malignum spiritum compescit. S. p. 30. f. 709. Boethius testatur, cantu suavissimo juvenem furentem fuisse mitigatum. Xenophon cytharam asperis fons pulsans Alexandrum ad arma concitat. S. p. 30. fol. 705.

Spiritus malus Saul compescitur per musicam. Theodosius Imperator contra cives

*D. Claus Spiel, univers. Pars II,*

Antiochenes gravi ira exarsit, sed musica, quam Flavianus Episcopus supra mensam adornaverat, ita placatus fuit, ut commiserationis lacrymas tuderit. Aliquis juvenis in Dania poterat homines ad rabium furorem musica commovere. Quia a Tarantula intoxicati sunt, per musicam sanantur. D. 2. 80.

Hanslinus oblidens urbem Lu, & audiens incolas voce & organis canentes, coniecit inde, in urbe vigere bonos mores, & confestim juramentum rescidit, exterminandi urbem incendendi & rapinis. En! musica conservavit urbem ab interitu. T. n. 235.

Mulier ex bonis perditis ad infantiam redacta, & sibi ipsi violentas manus iniectura, amano testudinis lusu ad mentem, & manufacturam revocatur. T. n. 236. & seq.

Pythagoras cum in homines ebrios incidit, confestim jussit *Doricum canere* (est species cantus exhilarantis) itaque capsulam ac temulentiam discussit, ut illi collas capite detraxerint, seque ad modestiam composuerint. Eundem in finem Veteres inter convivia musicam instruxerunt, ut convivæ exhilarentur, & lietes, ac rixæ, ex vino ortæ, sopiantur. C. Eccli. 32. v. 5.

Quanta sit vis Musicæ ex eo patet, quod non tantum homines lætificet, sed etiam bestias excuret: Cervi fistulis capiuntur: cygnos hyperboreos cytharæ cantus adducit: Elephantis Indici Organi voce demulcentur: fistulis aves alliciuntur: Delphinus cytharæ sonus amicitiam hominum persuadet: cantu attrahunt serpentes: Item Veteres musica febres curabant: ad sedandas animi afflictiones tibias adhibebant: Organici modulis phraticos ad mentem reducebant. C. Eccli. 32. v. 5.

260. Vana in templo illaudabilis.

Monachus non in humili psalmodia, sed in vocis artificio sibi complacens, in choro ab ipse ostendit damnum laudatur, dicente: *O bene! O bene cantatum! E. Verbo Cantus. n. 1.*

Memorari P. Georgius Stengelius, se in Conventu Ingolstadtensi vidisse virum brachitis & manibus carentem, qui in mensam insiliens excussis calcæis, pedum digitis organum fistissime pulsabat. Si famulus, qui folles attollebat, negligenter fuerit, plano pede excussim illi alamp dabat. Lohmer Tom. 2. in Append. Hist. n. 299. Sic fit, quæ artificiosa, aut insolita sunt in musica, admiramus! cum peregrinus Cantor.

H Che-